

De theologiae professoribus augustinianis universitatis graecensis *)

Introductio

Iam conati sumus indicare doctores theologicos universitatis

*) Abbreviationes operum pluries hic citandorum:

Acta = *Acta inclytae facultatis theologiae in Alma ac Celeberrima Universitate Graec... Anno a Partu Virginis MDLXXXVI condita*, in GUA.

Album = *Album inclytae facultatis theologiae in Alma ac Celeberrima Universitate Graecensi erectae ab anno reparaetae salutis MDCCLXV, fundatae vero a serenissimo Archiduce Carolo universitatis CLXXIX*, in GUA.

BAR = *Bibliotheca Angelica*, Romae, codex manuscriptus.

Chronicon = *Introductio historica, latine scripta, ad Acta*, in GUA.

Dd = *Registrum Priorum Generalium*, in *Archivo Generali Ordinis S. Augustini*, Romae 1357 sqq.

Ff = *Acta capitularia et congregationum intermediarum*, ibidem, Romae.

GLA = *Landesarchiv*, Graz.

GOA, *Ordinariatsarchiv*, Graz.

GProt. Ord. = *Protocollum Ordinatorum*, 5 volumina, in *GOA*.

GUA, *Universitätsarchiv*, Graz.

KRONES = *F. VON KRONES, Geschichte der Karl-Franzens Universität in Graz*, Graz 1886.

LÓPEZ-BARDÓN = *Monastici Augustiniani R. P. Fr. Nicolai Crusenii Continuatio atque ad illud additamenta*, vol. III, auctore Thyrso López-Bardon O.S.A., Vallisoleti 1916.

LTK = *Lexikon für Theologie und Kirche*, secunda editio 1957-1965.

OeNB = *Oesterreichische Nationalbibliothek*, Wien, codex manuscriptus.

Pfarrchronik = *Origo Templi Parochialis ad SS. Sebastianum et Rochum in Via Regia, nec non monasterii Patrum ord. Er. S. Doctoris Ecclesiae translata a P. Antonio Lettinger, hujus ordinis membro et cooperatore, ac postea Parocho in Wizelsdorf et Lainz, 1^{ma} Maii A^o 1812*, in *Cancellaria parochiali ecclesiae viennensis SS. Sebastiani et Rochi*.

Prot. Aug. = *Protocollum ecclesiae aulico-caesareae et conventus FF. Eremitarum Discalceatorum S. P. N. Augustini*, 7 volumina, Viennae, in conventu S. Augustini.

viennensis ex ordine S. Augustino in opusculo anteriore ¹⁾, ubi locuti sumus de omnibus augustinianis membris collegii doctorum theologiae viennensis, sive actu docebant, sive simpliciter doctores erant, ius autem habentes ad *votum et sessionem*. Ex 56 doctoribus quos antea nominavimus, quattuor hic quoque memorandi sunt, ut infra videbimus; in utraque enim universitate, viennensi scilicet et graecensi, doctores theologici fuerunt. Hic autem magis loquemur de eventibus in vitis talium professorum dum Graecii laborabant, lectorem referentes ad praevidiam lucubrationem nostram pro pleniori descriptione laborum eorum in universitate viennensi.

Utile erit hic quaedam de historia universitatis praefigere, antequam in illa docere inceperunt professores nostri. Non enim hic iam ab initio docebant augustiniani, sicut in universitate viennensi primis annis facultatis theologiae fecerunt, scil. 1384-1388 Leonardus de Carinthia seu de Villaco, et Joannes de Retz ²⁾. Universitas graecensis diversa fuit ab universitate viennensi inter alia per hoc quoque, quod inde ab initio unici rectores et professores graecenses ex Societate Jesu fuerunt. Fundata est universitas anno 1585 ab archiduce Carolo ad restabiliendam religionem catholicam in Styria, et anno sequente, approbante Papa Sixto V, Jesuitis concredita, qui usque ad tempora Mariae Theresiae aliis exclusis professores et rectores fuerunt. Anno autem 1782, iam per decennium suppressa So-

SS = Seckauer *Schematismus*.

Taufbücher = Taufbücher der Pfarre zu SS. Sebastianus und Rochus, Wien 1783 ff.

VANOe = Archiv für Niederösterreich, Wien.

VDA = Ordinariatsarchiv, Wien.

VProt. Ord. = *Liber Ordinationum*, in VDA.

VS = Wiener *Schematismus*.

VUA = Universitätsarchiv, Wien.

Nomina latina quae alia sunt ac germanica: Baada = Baden bei Wien; B(P)rugga = Bruck an der Leitha; Bruna = Brünn; Carinthia = Kärnten; Corneoburgum = Korneuburg; Flumen = Fiume; Gentiforum = Völkermarkt; Graecium = Graz; Labacum = Laibach; Leuca = Lockenhaus; Monachium = München; Mutta = Hohenmauthen; Oenipons = Innsbruck; Salisburgum = Salzburg; Seccovia = Seckau; SS. Trinitas = Hl. Dreyfaltigkeit in Windischbüheln; S. Vitus = St. Veit an der Pflaum; S. Vitus in Carinthia = St. Veit an der Glan; Styria = Steiermark; Tridentum = Trient.

¹⁾ « De doctoribus theologiae O.S.A. in universitate vindobonensi », *Augustinianum* V (1965) 271-364. Ne numerus notarum nimis crescat, denuo incipiemus cum nota prima pro unoquoque ex novem augustinianis hic tractatis.

²⁾ *Ibid.* 275-281.

cietate Jesu, quae inde ab anno 1773 e facultate theologica graecensi evanuerat, universitas reducta est ab Imperatore Josepho II ad lycaeum, retinens autem facultates philosophicam et theologicam, atque ius ad doctoratum concedendum. Rursum elevata est haec schola ab Imperatore Francisco II anno 1827 in universitatem, cui postea accesserunt aliae facultates³⁾. Fama atque utilitas huius scholae in reformatione catholica revera magnae fuerunt, ita ut numerus studentium saeculo decimo septimo ad 1600 ascenderit. Hi alumni, cum in suas regiones etiam exteras rediissent, fidem catholicam, a protestantibus oppugnatam, viriliter defenderunt.

Inter auditores theologiae, qui hic lauream receperunt, primus inter augustinianos est forsitan P. Aurelius Tron, graecensis, qui die 10 iunii 1623 lauream theologicam consecutus esse dicitur⁴⁾. Codex autem graecensis, qui in eadem pagina P. Georgium Gladich O.S.A. (de quo infra loquemur) doctorem universitatis graecensis appellat, hoc de P. Aurelio non dicit: nullam enim universitatem nominat. Quaedam difficultas etiam inde venit, quod pro eodem die Registrum prioris generalis dicit P. Aurelium accepisse licentiam insignia doctoratus in aliqua universitate approbata suscipiendi, quo codex graecensis affirmat eum hanc lauream de facto consecutum esse. Estne error quoad diem in uno alterove ex his duobus documentis? Vel licentia prioris generalis aliquo modo ab auctore anonymo codicis graecensis pro ipsa laurea habita est? Quolibet in casu, P. Aurelius in ordine magister factus est d. 23 maii 1625⁵⁾, id quod potest praesupponere, non autem necessario, eum iam lauream theologicam in aliqua universitate suscepisse. Hic, etsi de eius laurea in universitate graecensi non plene constat, breviter damus eius curriculum vitae, utpote qui certe anno 1623 prior monasterii nostri graecensis esset, cum laureatus est. Si igitur in aliqua universitate lauream consecutus est, haec verosimillime erat graecensis. Mense aprili 1606 primum apparet in historia ordinis cum e monasterio graecensi translatus est in novitiatum monachen-

³⁾ Cf. FR. VON KRONES, *Geschichte der Karl-Franzens Universität in Graz* (Graz 1886) passim; H. ZSCHOKKE, *Die theologischen Studien und Anstalten der katholischen Kirche in Oesterreich* (Wien und Leipzig 1895) 220-225; J. MATL, *LTK* 4.1175-1176; pro ultimis annis collegii Jesuitarum graecensis, cf. B. DURR, *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge*, 4.1 (München 1928) 392-393.

⁴⁾ GUA 960.6; Dd 64.16r, d. 10 iunii 1623.

⁵⁾ Dd 66.26r.

sem⁶⁾. Dein apparet in pluribus studiis generalibus ordinis in Italia, ubi fecit studia tam philosophica quam theologica. In his conventibus invenitur inter annos 1612-1619 : Florentiae⁷⁾ ; Bononiae⁸⁾ ; rursum Florentiae⁹⁾ ; Senis¹⁰⁾ ; Arimini¹¹⁾ ; Caesenae¹²⁾ ; Tarvisii¹³⁾. Iam apparet ut definitor pro provincia Austriae-Bohemiae in capitulo generali mense iunio 1620 Romae celebrato¹⁴⁾. In provinciam redux electus est d. 30 martii 1621 secundus definitor provinciae Styriae-Carinthiae et prior graecensis¹⁵⁾, quibus muneribus usque ad annum 1626 Graecii fungebatur, ita ut eius laurea doctoralis, si quidem ab aliqua universitate suscepta est, in universitate graecensi collata esse videatur, sicut his temporibus tam Graecii quam Viennae fiebat¹⁶⁾. Ut secundus definitor provinciae confirmatus est, mense maio 1628, semper Graecii manens¹⁷⁾. Cum anno 1634, d. 7 aprilis, factus esset primus definitor¹⁸⁾, Romae in capitulo generali d. 14 maii 1636 electus est in priorem provincialem Styriae-Carinthiae¹⁹⁾. In eodem munere a priore generali confirmatus est d. 21 jan. 1639, cum id commendarent praecipui patres provinciae et plures principes saeculares²⁰⁾. Ut vicarius provincialis apparet d. 1 martii 1643²¹⁾. Iterum a priore generali ut Rector provincialis constitutus est d. 12 maii 1646, postquam controversiae in ipsa provincia difficilem reddiderunt electionem successoris pro

⁶⁾ OeNB 5811.22v.

⁷⁾ Dd 56.246, mense maio 1612.

⁸⁾ Dd 57.66, mense maio 1613; ibid. 68, *Florentiae, amoti... Fr. Aurelius Graecensis Germanus... Bononiae promotus ad cursoratum.*

⁹⁾ Dd 58.14r, mense maio 1614.

¹⁰⁾ *Ibid.* 85v et 86v, mense maio 1615; ubi etiam lector factus est d. 26 martii 1616, cf. Dd 59.1v et Dd 61.130v.

¹¹⁾ *Ibid.* 110r, mense maio 1617.

¹²⁾ Ubi factus est baccalaureus, Dd 60.37r t 38r, mense maio 1618.

¹³⁾ *Ibid.* 107r, mense maio 1619.

¹⁴⁾ Dd 62.4r.

¹⁵⁾ OeNB 5811.43v.

¹⁶⁾ GAVIGAN, *op. cit.* 290-293, pro PP. Carolo Antonio Barberio et Patritio de Rau, qui Viennae laureati sunt, postquam omnia studia in Italia compleverunt, eodem modo quo P. Aurelius Tron.

¹⁷⁾ OeNB 5811.53v et 57r.

¹⁸⁾ Dd 70.135v-136r.

¹⁹⁾ Dd 73.13.

²⁰⁾ Dd 74.244-245.

²¹⁾ GProt. Ord. 3.122.

priore provinciali defuncto, P. Francisco Posich ²²⁾. Adhuc in eodem munere d. 25 aug. 1646 apparet, sed post aliquot hebdomadas obiit, hoc munere adhuc fungens ²³⁾. Iuxta GUB 960.6, certe ad episcopatum promovendus erat, nisi mors praematura eum abripuisset.

Quamvis incerti simus utrum Aurelius Tron doctor universitatis graecensis fuerit necne, omnino certi sumus de P. Georgio Gladich, qui anno 1632 in hac universitate lauream theologicam consecutus est, cum prior provincialis Styro-Carinthiae esset. Iuxta Cl. Janetschek ²⁴⁾, Gladich in oppido S. Viti anno 1594-1595 natus est, propter quod in fontibus saepe Georgius Fluminensis appellatur. Hoc quidem recte dictum esse a cl. Janetschek videtur, qui tamen Georgium Fluminensem seu Gladich, aliquando cum alio augustiniano horum temporum, Georgio Graecensi confundit, cuius cognomen in pluribus formis invenitur: Juresich, Jurisich, Jurishitz, etc. Uterque autem saepe apparet in registris priorum generalium huius temporis, ita ut certe distinguere possimus inter illos. Senior eorum fuit G. Juresich, qui iam anno 1623 primus prior labacensis factus est, cum G. Gladich adhuc Bononiae theologiae studebat ²⁵⁾. Primum apparet fr. Georgius Gladich in annalibus ordinis, d. 14 martii 1615, quo die tamquam sodalis monasterii graecensis recepit tonsuram et quattuor ordines minores ²⁶⁾. Anno sequenti adhuc Graecii inveniebatur mense aprili tamquam clericus in Graecensi monasterio, cum P. Georgius Juresich, iam sacerdos, in eodem monasterio de familia erat ²⁷⁾. Anno autem 1618-1619 Gladich studiis suis philosophiae ac theologiae in studiis nostris italicis incumbere incepit. Ex studio enim Anconensi in studium Bononiense anno 1620 translatus est ²⁸⁾. Anno sequenti missus est Patavium ²⁹⁾, ubi

²²⁾ Dd 80.CCCI; cf. GProt. Ord. 3.144.

²³⁾ Dd 82.I.49r, et Dd 82.I.61v, d. 13 oct.: *Deputamus Rectorem Provinciale nostrae Styro-Carinthiae ob Pris. Magistri fris. Aurelii Tron obitum R. P. M. fr. Simplicianum fluminensem usque ad capitulum proxime post Pascha celebrandum.*

²⁴⁾ *Das Augustiner-Eremitenstift S. Thomas in Brünn* (Brünn 1898) 229-267. eiusdem *Necrologia patrum et fratrum Ord. Erem. calceat. S. Augustini in Vicariatu Moraviae* (Brunae 1894) 18.

²⁵⁾ Dd 64.5r; ibid. 51r, d. 22 martii 1624; Dd 67.97r, d. 6 maii 1628.

²⁶⁾ GProt. Ord. 1.614.

²⁷⁾ OeNB 5811.39v.

²⁸⁾ Dd 62.11v et 22v.

²⁹⁾ *Ibid.* 128v et 130r, mense maio 1621.

anno 1622 confirmatus est ³⁰⁾. Iterum Bononiae locatus est anno 1623, mense iunio ³¹⁾. Die 26 febr. 1626, data est ei licentia recipiendi diaconatus ordinem, et eodem anno ut sacerdos et lector apparet in conventu augustiniano graecensi d. 6 iunii, ubi post duos annos adhuc apparet cum titulo baccalaurei ³²⁾. Anno 1630, d. 22 maii, in capitulo generali Romae habito P. Georgius Gladich electus est pro sequenti triennio in priorem provincialem Styriae-Carinthiae; eodem tempore, data est ei licentia in aliqua universitate approbata laureae consequendae ³³⁾. In eodem capitulo confirmatus est P. Georgius Juresich ut vicarius generalis in conventu labacensi ³⁴⁾. Anno sequenti, Gladich apparet tam ut prior provincialis Styro-Carinthiae quam ut Magister in sacra theologia ³⁵⁾. Dein anno 1632 lauream doctoralem in universitate graecensi recepit ³⁶⁾, postquam d. 4 febr. electus est ad prioratum perpetuum brunensem, cum id commendaret imperator Ferdinandus, eiusque magister cucinae Ulrichus de Eggenberg ³⁷⁾. Pontificalibus insignitus, non tantum comes palatinus, vicarius generalis, consiliarius archiducis Gulielmi Leopoldi et episcopi Olomucensis (Olmutz) factus est, sed etiam per annos 1649-1651 priorem provincialem provinciae Austriae, per hoc tempus cum vicariatu Moraviae unitae, egit. Visitator generalis quoque anno 1640 per Germaniam, Austriam, Bohemiam nominatus est. Denique, d. 18 aug. 1653, officio prioratus resignato, in conventum fluminensem rediit, ubi fungens officio capellani maioris Ferdinandi III, d. 20 aug. 1654 obiit ³⁸⁾. P. Richardus Tecker ³⁹⁾, qui videtur falso assignare annum 1653 pro eius obitu, dat titulum operis P. Georgii, quod saeculo XVIII ut codex conservabatur in Bibliotheca Caesarea Viennensi : *Descriptio Translationis Imaginis Beatae Mariae Virginis a S. Luca depictae, Brunam ex Perside* (!).

³⁰⁾ Dd 63.36r.

³¹⁾ Dd 64.54.

³²⁾ OeNB 5811.53v et 57v.

³³⁾ Dd 69.9r et 11v.

³⁴⁾ *Ibid.* 8r, d. 21 maii 1630.

³⁵⁾ Dd 69.130v, d. 4 iunii 1631.

³⁶⁾ GUB 960.6-7.

³⁷⁾ Dd 69.183v, d. 19 martii 1632, ubi prior generalis electionem confirmat atque P. Georgium deputat ut vicarium generalem Moraviae; cf. OeNB 5811.62r, die 9 aug. 1633.

³⁸⁾ JANETSCHKE, *Das Augustiner-Eremitenstift* 266; *Necrologia* 18.

³⁹⁾ BAR 353.162.

Post Gladich, alii quoque augustiniani saeculis XVII-XVIII in universitate graecensi lauream adepti, actu repetitionis facto, doctores in universitate viennensi quoque facti sunt. Fuerunt : PP. Fulgentius Kerth, qui lauream graecensem anno 1689, viennensem anno 1691 consecutus est ⁴⁰⁾ ; Josephus Achinger, annis 1690 Graecii, 1692 Viennae laureatus ⁴¹⁾ ; Paulus Wutschnig, Graecii anno 1694, Viennae anno 1697 ⁴²⁾ ; Alipius Zurtschenthal, Graecii anno 1731, Viennae 1735 doctor factus ⁴³⁾ ; nulli tamen ex his doctoribus poterant professores in universitate graecensi fieri, propter rationem supra allatam, scil. quod usque ad tempora eorum officia professorum atque rectoris patribus S. J. reservata erant.

Postea autem venit nova generatio doctorum augustinensium, qui non tantum Graecii lauream doctoralem consequi potuerunt, sed professores quoque, quin etiam aliquando decani facultatis theologiae atque rectores illius universitatis (respective post annum 1782 lycaeï) facti sunt. De his doctoribus augustinianis vellemus in hoc nostro opusculo scribere, praesertim in eorum cum universitate graecensi relationes intendentes. Elenchus horum doctorum, iuxta annum quo incepterunt theologiam in universitate graecensi tradere, vel ut decani facultatem theologicam dirigere, sic est.

1. Joannes Baptista Cortivo 1760. Professor, bis decanus, « novus fundator facultatis »
2. Richardus Tecker 1765. Professor
3. Martinus Rosnák 1769. Decanus, bis Rector Magnificus
4. Bernardus Schlechtleitner 1772. Decanus
5. Antoninus Ottinger 1773. Decanus, professor
6. Sigisbertus Hueber 1773. Professor
7. Joannes Evangelista Tretter 1777. Professor, pluries decanus, Rector Magnificus
8. Melchior König 1779. Bis decanus
9. Severinus Dworzak (discalceatus) 1785. Professor, bis decanus, Rector Magnificus.

Inter hos professores, omnes praeter J. B. Cortivo lauream theologicam in universitate graecensi receperunt, dum ipse Cortivo, inde

⁴⁰⁾ GAVIGAN, *op. cit.* 311.

⁴¹⁾ *Ibid.* 311-312.

⁴²⁾ *Ibid.* 313.

⁴³⁾ *Ibid.* 327.

ab anno 1740 doctor viennensis, « fundator » appellatus est novae facultatis theologiae graecensis, ut infra videbimus. Non loquemur hic de augustinianis Patribus Augustino Naller et Patritio Treher, qui antea laurea viennensi suscepta, annis quidem 1762 et 1781 doctores graecenses quoque facti sunt, nullis autem in universitate officiis functi sunt ⁴⁴).

Augustiniani ingredi in facultatem graecensem incipiunt

Ingressus augustinianorum in actus publicos saeculo XVIII fuit sat gradualis, atque videtur quandam habuisse proportionem cum amissione favoris apud gubernantes, quo per duo saecula gavisi erant Patres S. J. ⁴⁵). Scimus ex supra dictis quomodo augustiniani inde ab anno 1384 doctores theologiae actu docentes in universitate viennensi habuissent, dum omnes doctores qui ab initio in universitate graecensi praelectiones habuerunt usque ad tempora Mariae Theresiae ex S. J. fuerunt. In secunda autem medietate saeculi XVIII, hic favor S. J. minuebatur, et in casu universitatis graecensis videmus anno 1753-1754 ultima exempla quoad augustinianos gratiae qua pollebant Jesuitae, quam tamen mutatio rapida secuta est, ita ut haec gratia ultimo disparuerit.

Die 29 ian. 1753 petierunt ab Imperatrice Maria Theresia duo PP. Augustiniani Graecii residentes, Alipius Zurtschenthal et Bernardus Schlechteitner, licentiam ingrediendi in collegium professorum graecensium. Pater Alipius iam erat doctor, tam graecensis quam viennensis, hoc tempore fungens officio prioris in monasterio graecensi S. Pauli ; P. Bernardus autem erat doctor viennensis, et praesentatus in ordine ⁴⁶). Unus debebat, iuxta hanc petitionem, professor Sacrorum Rituum fieri, sicut haec materia ab ordine S. Augustini inde ab anno 1752 in universitate viennensi habe-

⁴⁴) *Ibid.* 335-336 pro Naller; 361-363 pro Treher. Tempus mortis Patritii Treher fuit exacte d. 13 sept. 1817, ut apparet ex GOA, *Personalakten*, non annus 1819, ut antea diximus, citantes WAPPLER, *Geschichte der theologischen Fakultät der k.k. Universität zu Wien* (Wien 1884) 435.

⁴⁵) De hac re videsis DURR, *op. cit.* 392-393.

⁴⁶) Pro Zurtschenthal, cf. GAVIGAN, *op. cit.* 327-328; pro Schlechteitner, *ibid.* 336-337.

batur ⁴⁷⁾ ; alter debebat examinator fieri. Cum Maria Theresia directorem studii, P. Franciscum X. Pejavesich S. J., d. 16 febr. 1753 eius opinionem hac de re rogavisset, hic respondit illud non convenire : melius esset enim ut hae res exclusive a Patribus S. J. haberentur, addens hos duos augustinianos, quamvis doctores essent, neque esse membra neque doctores incorporatos universitatis graecensis, id quod necessario praesuponebatur ad professuram ⁴⁸⁾. Augustiniani igitur adhuc septennium expectare debuerunt, donec primus eorum professor in hac universitate praelectiones dare potuerit, ut infra videbimus, loquentes de Patre Joanne Baptista Cortivo.

Mense octobri eiusdem anni 1753 representatio aulica graecensis edidit decretum, ut augustiniani graecenses studia sua studiis Societatis Jesu conformarent. Hoc decretum augustinianis notum factum est initio mensis martii 1754. Deinde, die 4 huius mensis atque die 5 aprilis eiusdem anni iussi sunt augustiniani graecenses, non tantum studia sua studiis S. J. conformare, sed etiam studentes suos ad scholas eiusdem societatis mittere ⁴⁹⁾. Prior autem provincialis austriacus augustinianorum, P. Godefridus Claa, subito libellum supplicem Praesidenti Representationis Comiti de Schaffgotsch misit, quo relaxationem huius decreti adeptus est. Signa etiam quaedam aderant, quae manifestabant voluntatem Gubernii ut omnes ordines religiosi graecenses participarent in congressu literario Collegii S. J. iuxta haec decreta, omnibus religiosorum conventibus graecensibus mandata, tres lectores conventus augustiniani d. 5 martii 1753 incepterunt his congressibus assistere. Fuerunt Patres : Bernardus Schlechtleitner, Studiorum Regens ⁵⁰⁾ ; Fructuosus

⁴⁷⁾ *Ibid.* 326-327; OeNB 7238.XVL.93rv; R. KINK, *Geschichte der kaiserlichen Universität zu Wien* (Wien 1854) 1.467, ubi sermo est de reformatione studiorum viennensium per quam augustinianis data est cathedra sacrorum rituum, quae tamen iterum pro cathedra theologiae moralis anno 1765 commutata est.

⁴⁸⁾ GLA, R.-K. Sach., 62, *Studienabteilung 1752-1753*.

⁴⁹⁾ OeNB 10064.37r. Hic codex manuscriptus auctoris ignoti titulum habet: *Sors nostra in Universitate Graecensi ab Anno 1753*. Latine quidem fit narratio, documenta autem saepe germanice citantur. Continet multas minutias quoad nostrates graecenses usque ad d. 15 dec. 1770, non autem descriptionem plenam de rebus narratis, praesuppones lectorem iam aliquatenus certiorum factum de rebus augustinianis horum temporum. Tamen utilis fons est, quem hic saepe citabimus.

⁵⁰⁾ Cf. notam 46 huius partis.

Huetter, qui tunc erat lector theologiae moralis ⁵¹⁾; Ludovicus Clerff ⁵²⁾).

Alia quoque connectio inter augustinianos et universitatem facta est, cum d. 19 aug. 1758 duo lectores nostri apud Patres S. J. graecenses argumentati sunt. Hi duo fuerunt P. Bonaventura Wunder, lector theologiae ⁵³⁾, et P. Caelestinus Miller, lector philosophiae ⁵⁴⁾.

⁵¹⁾ Viennae, d. 9 oct. 1715 natus, Pruggae d. 26 sept. 1734 receptus, d. 3 1756 Bononiae doctoratum in theologia recepit. Postquam Labaci theologiam moralem, Graecii philosophiam et utramque theologiam tradidit, magister in ordine anno 1765 factus est. Semel fuit prior labacensis, bis graecensis, atque in capitulo provinciali anni 1770 conventus viennensis prior nominatus, postquam prior provincialis electus est anno 1767; OeNB 7372.23v; OeNB 7238-61v.

⁵²⁾ Viennae d. 23 vel 22 ian. 1716 natus, Corneoburgi novitiatu d. 11 nov. 1732 incepto, professionem anno sequenti emisit d. 15 nov. Postquam per annos 1744-1755 in scholis ordinis docuit, iam baccalaureus in universitate viennensi, Salisburgum missus est anno 1755 ut lauream theologiam susciperet. Prior factus conventus Muttensis, hic, titulo praesentati ornatus, obiit d. 31 aug. 1759; OeNB 7372.23r; OeNB 7429.140r.

⁵³⁾ Anno 1724 Gentifori seu Völkermarkt in Carinthia natus, studens philosophiae erat Graecii 1742, inde Viennam translatus est pro studiis theologicis in conventu ordinis. Ibidem anno 1747, iam sacerdos, factus est correpetitor, anno autem 1750 Pruggam ut lector philosophiae et decisor casuum missus est. Triennio postea, seu 1753, cum eisdem muneribus Fürstenfeldium translatus, Graecium iterum missus est anno 1755 ut lector theologiae secundarius et decisor casuum. Anno 1758 mansit quidem ut decisor casuum, promotus est autem ad lectorem theologiae primarium. Anno sequenti Viennam rediit cum eisdem officiis atque factus est, anno nobis incognito, in universitate viennensi baccalaureus. Anno 1761 factus est ad triennium secretarius provinciae, et honorem praesentaturae in ordine suscepit. Anno autem 1764 in conventu suae urbis natalis seu gentiforensi non solum prior nominatus est, sed etiam definitor et decisor casuum. Anno 1768 factus est pro-prior labacensis, biennio autem postea prior. Conventus generalis tridentini fuit per annos 1771-1776 prior, cum rediit in provinciam, ubi anno 1783 prior graecensis factus est. Monasterio graecensi autem anno 1784 suppresso, in conventum natalem gentiforensem rediit, ubi mortuus est d. 9 nov. 1780. Reliquit plura opera, inter quae: 1. *Increatæ Sapientiae, sapientia et virtute nobilis sponsus Divus Joannes Evangelista*, Viennae 1748; 2. *Assertiones ex Theologia scholastica dogmatico-historica, de peccato originali, gratia Salvatoris, Sacramentis in genere, tribus prioribus in specie*, Graecii 1758; 3. *Sanctitas et miracula S. Nicolai de Tolentino* (germanice), Viennae 1752; 4. *Novennalis devotio erga S. Nicolaum Tolentinatem* (germanice), Graecii...; 5. *Synopsis ascetico-moralis historica et vitae religiosae statu, ortu, progressu et disciplina*, Labaci 1770; 6. *Aurelii ad Galenum Epistulae IV de Vinculo Matrimonii, oder Aurelii, lateinisch und deutsche Briefe ad Galenum*, Graecii (1780). Cf. LÓPEZ-BARDÓN 203; BAR 353.18.

⁵⁴⁾ Flumine d. 11 febr. 1729 natus, in ordine d. 24 martii 1747 indutus est.

Eventus autem maximi momenti pro introducendis augustinianis in facultatem theologicam universitatis graecensis fuit epistula, d. 15 sept. 1760 a Caesareo-Regia Representatione scripta⁵⁵⁾, qua notum factum est decretum aulicum ex diebus 6 et 14 eiusdem mensis. Hoc decretum introduxit in universitatem graecensem primum professorem augustinianum, atque novum capitulum augustinianorum graecensium incepit. Hic primus professor augustinianus fuit homo Graecii iam bene notus, scilicet :

I. JOANNES BAPTISTA CORTIVO¹⁾

Hic bene notus professor, Flumine d. 2 nov. 1707 natus²⁾, anno 1760 in conventu graecensi S. Pauli degens, doctor viennensis inde ab anno 1740 atque decanus facultatis viennensis anno 1752-1753, nominatus est per hoc aulicum decretum in novam cathedram theologiae iuxta principia S. Augustini in universitate graecensi. Hoc decretum fecit pro universitate graecensi idem quod alia decreta horum temporum fecerant, vel factura erant, pro aliis quoque universitatibus monarchiae austriacae : e.g., viennensi, ubi d. 10 sept. 1759 decretum simile huic decreto graecensi anni 1760

Professione d. 25 martii 1745 emissa, suscepit tonsuram et ordines minores Viennae in basilica S. Stephani d. 20 sept. 1749 (VProt. Ord. 18v). Ibidem ordinatus est ad subdiaconatum d. 21 febr. 1750, ad diaconatum d. 16 febr. 1751, ad sacerdotium d. 18 martii 1752 (*ibid.* 24v, 41v, 53r). Post completa studia theologica Viennae, ibidem factus est correpetitor anno 1753 (Ff 44.168v; Ff 52,11, mense sept. 1753). Graecium missus est ut lector philosophiae et linguae hebraicae anno 1755, in quibus muneribus confirmatus est mense aprili 1758 (Ff 52.88v et 264r). Anno sequenti data est illi licentia disputandi in universitate viennensi pro laurea, atque Flumen tamquam lector philosophiae et decisor casuum missus est (Ff 52.364v et 365v). Iterum Graecium anno 1761, mense aprili, missus est ut lector theologiae et director studii, sed anno sequenti valetudo eum coegit iterum Flumen ire ante finem mensis aprilis (Ff 52.420v; OeNB 10064.38v; BAR 363.116). Postquam Graecio discessit, factus est baccalaureus theologiae in universitate graecensi d. 11 iunii 1762 (OeNB 10064.38v). De facto, breviter postea defunctus est, Flumine d. 14 aug. 1763. Unum opus publicatum reliquit: *Oratio de Augustissimo Verbi incarnati mysterio*, deferente P. Magistro J. B. Cortivo Decano, Viennae 1752.

⁵⁵⁾ OeNB 10064.37r, ubi textus germanicus huius epistulae citatur.

¹⁾ Pro cuius vita anteriore vid. GAVIGAN, *op. cit.* 333-335, et notam sequentem.

²⁾ VUA, *Acta facultatis theologiae* V.619, ubi corrigitur error de anno nativitatis 1702, quem antea dedimus, citantes OeNB 7372.15v-16r; habebat 76 annos anno 1783, ergo annus 1707 fuit annus nativitatis.

supra citato introduxit seriem professorum augustinianorum, scil. Josephum Azzoni, Augustinum Gervasio, Josephum Bertieri³⁾; idem factum est pro universitatibus pragensi et olumucensi quoque, ubi professores augustiniani sicut Cosmas Schmalfus, Benignus Sychrowski, Jordanus Simon, Hyacinthus Robeck, Caelestinus Wimmer praelectiones habuerunt⁴⁾.

iuxta decretum pro universitate graecensi, P. Cortivo praelectiones eodem ipso anno academico 1760-1761 incipere debebat. Hoc decretum etiam Rectori Universitatis ac Rectori provinciali augustinianorum provinciae Austriae traditum est, ita ut omnia recte disponi possent ad primas praelectiones professoris augustiniani in universitate⁵⁾. Neque augustiniani tantum sic in facultatem theologicam graecensem introducti sunt, sed dominicani quoque, et quidem cum professore theologiae iuxta principia S. Thomae Aquinatis, P. Vincentio Dichanitz, adepti sunt cathedram pro eodem anno scholastico, iuxta decretum aulicum ex diebus 22 et 29 nov., quo statutum est ut hi duo novi professores, Cortivo et Dichanitz, alternative ante et post meridiem praelectiones quotidie habere deberent. Aequiparandi erant ambo cum ceteris professoribus e S. J. Per idem decretum P. Cortivo tamquam decanus facultatis theologiae nominatus est⁶⁾. Magna quidem mutatio! Favor autem gubernii non fuit semper res omnino grata, utpote qui mense dec. 1760⁷⁾ vel ipsum textum in scholis adhibendum pro utroque novo professore praescripserit, scilicet institutiones theologicas P. Caspari Juénin⁸⁾. Tamen ambo ordines mendicantes laeti acceperunt

³⁾ Vide GAVIGAN, *op. cit.* 339-341 pro Azzoni; 346-348 pro Gervasio; 352-354 pro Bertieri.

⁴⁾ Pro Schmalfus, cf. LÓPEZ-BARDÓN 394-401; pro Sychrowski, *ibid.* 194-195; pro Simon, *ibid.* 34-40; pro Robeck, cf. HURTER, *Nomenclator literarius theologiae catholicae* 5.1 (Innsbruck 1911) 267-268; pro Wimmer, cf. GAVIGAN, *op. cit.* 360-361. Dolendum est quod dissertatio theologica Pauli SLADEK, O.S.A., *Der Augustiner-Provinzial Kosmas Schmalfus (1730-1811). Ein Beitrag zur kirchlichen Aufklärung* (Prag 1931) nondum in lucem edita est.

⁵⁾ OeNB 10064.37r.

⁶⁾ *Ibid.*

⁷⁾ *Ibid.* 37rv.

⁸⁾ Hic oratorianus gallicus, de iansenismo a Patribus S.J. accusatus, mortuus est anno 1707, postquam anno 1694 primam editionem operis sui in 4 voluminibus publici iuris fecit, quod in multis seminariis gallicis adhibitum, pluries editum est per decursum saeculi XVIII, quamvis a Clemente XI anno 1708 damnatum esset donec corrigeretur, id quod factum est; cf. HURTER, *op. cit.* 4 (Innsbruck 1910) 737-739.

has novas cathedras, ita ut P. Cortivo d. 6 nov. suum solemnem in facultatem habuerit ingressum, die renovationis studiorum post ferias. Tam subitaneae autem mutationes in facultate, quae iam duo numberabat saecula, non facile ab omnibus acceptae sunt, id quod sine difficultate intelligitur. Numerus auditorum pro P. Cortivo in prima lectione ad quinque tantum ascendebat, inter quos duo augustiniani, P. Avellinus Schingenschlögl et fr. Daniel Schonauer⁹⁾. Professor dominicanus quoque habuit quinque auditores tantum, quia ipse et Cortivo simul sumpti decem tantum auditores initio habebant, dum 150 alumni scholas professorum S. J. adhuc frequentabant¹⁰⁾. Hoc autem displicuit Imperatrici Mariae Theresiae, quae igitur d. 22 nov. eiusdem anni ad praesidentem Representationis et Camerae pro archiducatu Styriae, Ernestum Comitem de Schaffgotsch, epistolam scripsit, qua imperabat ut impedimenta contra ingressum in scholas horum duorum novorum professorum tollerentur, atque ut beneficia offerrentur alumniis qui hos novos cursus frequentarent¹¹⁾. Modo vel magis deciso misit Repraesentatio et Camera graecensis ad novum priorem provincialem augustinianorum P. Bernardum Schlechtleitner de eadem re exempla transcripta decreti aulici ex diebus 13 et 20 febr. 1762, quod statuit ut candidati theologi inde a sequenti anno scholastico aequaliter dividerentur, ita ut una dimidia pars scholae augustino-thomisticae, altera dimidia pars Jesuitarum scholae cursus frequentarent, quamvis alumni qui Mariae Theresiae non essent subditi ab hac lege eximerentur. Praeterea duo auditores novae scholae debebant ab Aula titulum mensae habere¹²⁾. Divisi sunt de facto studenti per sortes a Vice-Directore Candido Vorreger, ita ut dimidia pars scholae augustino-thomisticae, altera dimidia pars Jesuitis daretur. Sic annus scholasticus 1762-1763 inceptus est cum c. 30 auditoribus in utraque parte¹³⁾. Praeterea, tam mense maio quam mense decembri eiusdem anni 1762, Augusta decreta de eadem divisione addidit, quae autem quandam confusionem causerunt¹⁴⁾. Numerus autem auditorum novarum cathedrarum non factus est iterum tam

⁹⁾ OeNB 10064.37rv.

¹⁰⁾ Cf. DUHR, *op. cit.* 387.

¹¹⁾ OeNB 10064.37v-38r.

¹²⁾ *Ibid.* 38v.

¹³⁾ *Ibid.* 39r.

¹⁴⁾ *Ibid.*

parvus, ita ut secundus professor augustinianus, P. Richardus Tecker, d. 15 apr. 1765 primam suam lectionem coram 20 auditoribus habuerit ¹⁵⁾. Horum alumnorum numerus anno 1766-1767 ad 40 ascendit ¹⁶⁾.

Die 9 dec. 1760, P. Cortivo qua decanus suum collegam dominicanum Dichanitz doctoribus theologiae graecensibus adscripsit, praetermissis omnibus tentaminibus et actibus. Hic fuit unicus casus in quo Cortico ut decanus sic egit, infra autem videbimus quomodo augustinianus discalceatus Severinus Dworzak ut professor Hermeneutices eodem modo ut videtur ad doctoratum elevatus sit. Eidem Dichanitz monstravit Cortivo et alium actum amicitiae : quamvis tamquam decano et seniori, ipsi Cortivo pertineret ius praelectiones ante meridiem tradendi, tamen mense nov. 1761, incipiente novo anno scholastico, cum Dichanitz alternavit, assignando ei lectiones antemeridianas ¹⁷⁾.

Sicut in conventibus religiosorum, ita in facultate theologica universitatis graecensis quoque, resolutio caesareo-regia e diebus 31 ian. et 7 febr. 1761 stabilivit, in epistula d. 9 febr. eiusdem anni missa, ut studia theologica universitatis graecensis in omnibus conformarentur cum facultate theologica universitatis viennensis ¹⁸⁾. Hic fuit secundus passus in longa serie actuum, quibus gubernium suam voluntatem, aliquando modo arbitrario, facultati graecensi imposuit, ita ut ipsi libri qui ut textus adhibendi erant, modo exclusivo praescriberentur, ut iam vidimus supra in casu textus Casparis Juénin, qui tam pro Cortivo quam pro Dichanitz impositus est. Ni fallimur, haec est ratio principalis, cur pauci doctores graecenses, augustiniani vel alii, his annis textus theologicos composuerint : textus enim qui in universitate viennensi adhibebantur in facultate theologica graecensi quoque adhibendi fuerunt, tam in theologia dogmatica quam in iure canonico. Postea, d. 9 dec. 1774, fecit gubernium aliud decretum ut lectiones graecenses disponerentur ad formulam universitatis viennensis ¹⁹⁾. Hoc logice conduxit ad usum praescriptum pro Graecio librorum de theologia dogmatica a professoribus viennensibus, dominicano Gazzaniga et augustiniano

¹⁵⁾ *Ibid.* 40v.

¹⁶⁾ *Ibid.* 41r.

¹⁷⁾ *Ibid.* 38r.

¹⁸⁾ *Ibid.*

¹⁹⁾ GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. I, Heft 10.8.

Bertieri compositorum ²⁰⁾. Usus horum textuum in universitatem graecensem anno scholastico 1776-1777 introductus est ²¹⁾. Eodem autem modo quo in universitate viennensi, textus augustiniani Engelberti Klüpfel postea introducti sunt, Viennae quidem anno 1789, Graecii fere eodem tempore. Ipse Klüpfel Viennam anno 1789 vocatus est, cum Bertieri episcopus factus est, ire autem noluit. Libri autem eius Graecii adhuc anno 1811 adhibebantur, sicut in universitate viennensi ²²⁾. Etiam post hunc annum Viennae saltem in parte adhibiti sunt ²³⁾.

Pro iure canonico, praescriptum vel rigidius quam pro theologia dogmatica a gubernantibus datum est, ultimis annis Mariae Theresiae et tempore dominationis Iosephi II. Sic, diebus 6 apr. et 13 nov. 1779, praescripti sunt textus iuris ecclesiastici Pauli Iosephi von Rieger « patris Iosephinismi », e quibus *theses adcurate extrahendae, ne verbo quidem immutato* ²⁴⁾. Facile igitur intelligemus cur, e.g., P. Joannes Evangelista Tretter sub his conditionibus, nullum textum pro sua materia dogmatica composuerit, quamvis illam plus 35 annos docuerit.

Resolutio e diebus 31 ian. et 7 febr. 1761 dedit decano Cortivo eiusque successoribus in decanatu ius suffragandi in omnibus actibus et tentaminibus atque ius supplendi directorem facultatis legitime impediti ²⁵⁾. Sic videmus iam primo anni Patris Cortivo ut decani quomodo magna gratia qua hucusque gavisii erant Iesuitae apud gubernium pedetentim minueretur per extensionem ad alios privilegiorum, quae antea his reservata erant.

Die 13 martii 1762, iam pro secundo anno ut decanus confirmatus, recepit Cortivo epistolam a direttore studii theologici, Ambrosio Antonio Khern, qua septem puncta a gubernio decisa ei nota facta sunt : 1. ut novi professores scholae augustino-thomis-

²⁰⁾ Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 353-354.

²¹⁾ *Chronicon* 171.

²²⁾ GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. VII, Heft 49.21.

²³⁾ Cf. *Wienerisches Universitäts Almanach* (Wien 1790) 5, ubi apparent textus a Gazzaniga et Bertieri compositi ut officiales pro anno 1789. RENNHOFFER, *Die Augustiner-Eremiten in Wien* (Würzburg 1956) 238, indicat textum Klüpfelianum postea usque ad annum 1812 in universitate viennensi adhibitum esse, id quod confirmatur ex *Wiener-Universitäts-Taschenbücher* pro anno 1812.5 et pro anno 1813.54, ubi nunc incipit dici: *mit Hinsicht auf Klüpfel*.

²⁴⁾ GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. I, Heft 18.5 et 14.

²⁵⁾ OeNB 11064.38r.

ticae (scil. Cortivo et Dichanitz) aequae essent examinatores ac Jesuitae professores ; 2. ut ipse Cortivo maneret decanus usque ad finem anni ; 3. ut professores theologici praeirent omnes alios doctores ; 4. ut in disputationibus essent quattuor oppugnantes ; 5. ut pecunia ex taxis persolutis collecta in fine anni distribueretur ; 6. imperatrix dedit titulum mensae duobus auditoribus scholae augustino-thomisticae, RR. DD. Klozner et Branezich ; 7. ut decanus Cortivo etiam hoc anno haberet gradum theologicum, id est, ut crearet adhuc alios doctores²⁶). Haec epistula quaedam decreta aulica confirmavit, quae iam mense februario eiusdem anni ex aula viennensi ad priorem provincialem augustinianum P. Bernardum Schlechtleitner missa erant, e.g., ut novi doctores graecenses crearentur, praesertim dominicani et augustiniani, qui iam doctores viennenses essent et taxam rite solverent. Tales novi doctores debebant collegio doctorum graecensium cum voto et sessione inscribi. Etiam alii invitandi erant ad oppugnandum in disputationibus loco scholasticorum S. J. Alio quoque modo Societati Jesu sublatum est privilegium, scilicet, quod etiam Rector Magnificus non ex illis exclusive eligeretur ; potius debebant tres candidati per pluralitatem suffragiorum eligi, e quibus gubernium viennense unum nominaret. Quin etiam, explicite dictum est ut creatio novorum doctorum propterea fieret, *ut facultas melius formata dein novum decanum et Rectorem Magnificum eligere possit*²⁷). De facto infra videbimus casus ubi gubernium, Jesuitis qui per pluralitatem suffragiorum electi erant praetermissis, secundum candidatum elegit, e.g. in casu Archidiaconi Pauli Hieronymi Schmutz secundo loco in Rectorem Magnificum praesentati anno 1763, et P. Martini Rosnák O.S.A., anno 1769 secundo loco in Decanum praesentati²⁸).

Cortivo igitur iuxta has novas dispositiones aulicas, d. 18 iunii 1762, capellano aulico Haan, qui privatim doctor creari volebat, etiamsi gradus publicus iam instabat, lauream theologicam contulit. Die 28 iunii R. D. Franciscus de P. Tomicich doctor in universitate creatus est²⁹). Quod actum publicum, iam die 21 iunii receperat Cortivo quattuor decreta ab Excelsa Repraesentatione ex die 18 eiusdem mensis, quae pro illius anni Baccalaureatibus et Doc-

²⁶) GOA, *Theologische Studien 1715-1802*, XII/1-A-5.

²⁷) OeNB 10064.38v.

²⁸) *Chronicon* 65 et 76; OeNB 10064.40r.

²⁹) OeNB 10064.38v.

toratibus determinarunt : diem (31 aug.) ; locum (auditorium academicum) ; modum (ut sumptus restringerentur, tam quoad librum qui de more distribuebatur quam quoad alia). Quartum ex his decretis statuit ut duo lectores theologiae in conventu S. Pauli, Antoninus Ottinger ac Richardus Tecker, et lector philosophiae ibidem, Martinus Rosnák, authentice ostenderent se iam omnia sua tentamina praestitisse, atque domi etiam sub suis doctoribus theologicis theses defendisse. Hoc factum est per testimonia scripta prioris provincialis Bernardi Schlechtleitner ³⁰⁾.

Videmus igitur quomodo gubernium conaretur per Cortivo novam fundare facultatem, in qua locus Jesuitarum multum diminueretur. Eodem autem tempore, nolebat ut res nimia cum facilitate fieret — recordamur quomodo P. Vincentius Dichanitz doctor creatus esset, omnibus tentaminibus atque aliis actibus dispensatis. Proinde, d. 16 aug. 1762 praesentata sunt decano Cortivo decreta Excelsae Repraesentationis ex die 6 aug. *in quorum uno excludebatur a futuro gradu ii, qui quacunq[ue] ex causa tentamina praecipue linguarum non praestiterunt. Ratio haec erat addita, quod nempe ob numerum eorum candidatorum, qui omnia jam praestiterunt, satis provisum sit facultatis augmento, sicque non subsistat motivum ex paucitate membrorum petitem* ³¹⁾. In tertio decreto iussi sunt tres lectores augustiniani, de quibus supra sermo fuit, scilicet Ottinger, Tecker, Rosnák, *se ultimo legitimare de habitis in nostris ecclesiis disputationibus theologicis, de praestitis quoque omnibus reliquis tentaminibus, sicque tentamen rigorosum, seu puncturam ex D. Thoma subire, et ad gradum admitti, ita tamen ut quoad reliqua onera ut alii tenerentur* ³²⁾. Die igitur 25 eiusdem mensis, *praestitis iis, quae per tertium hoc decretum praestanda erant... jussit Exc. Comes ab Auernsperg, supremus nunc studiorum praeses, ut praefati tres... lectores privatim a P. M. Professore Cortivo tunc decano in baccalaureos creentur, moxque dein puncturam subeant, quod et factum est ; creati enim baccalaurei examen rigorosum subierunt 27 et 28 aug.* ³³⁾.

Sic omnia disposita erant ut tres augustiniani crearentur doctores graecenses in actu diei 31 augusti, ut subito videbimus. Prae-

³⁰⁾ Ibid.

³¹⁾ Ibid. 39r.

³²⁾ Ibid.

³³⁾ Ibid.

stat hic notare favorem gubernii erga augustinianos, qui his annis in saltem quattuor universitatibus cathedras theologicas adepti sunt, atque postea Salisburgi quoque cum Aloisio Sandbuchler professuram habuerunt. Hic favor autem temporibus Josephi II conversus est in aversionem contra ordines religiosorum qui non responderent eius conceptibus « illuminatis » de utilitate publica. Ipse enim Josephus post 22 annos monasterium augustinianum graecense suppressit, atque sic finem provinciae austriacae augustinianorum fortiter acceleravit ! Per circiter viginti autem annos, augustiniani gaudebant protectione Mariae Theresiae in universitatibus austriacis, quae effecit ut Patres Cortivo et Bertieri in universitate viennensi, et Patres Tecker et Tretter in universitate graecensi diu bonum locum haberent in facultate theologica. Quin etiam textus theologici ab augustiniano Bertieri et dominicano Gazzaniga compositi per plures annos in utraque universitate praescripti erant, ut iam supra vidimus.

Die igitur 31 aug. 1762, iuxta decreta supra citata, decanus Cortivo hora octava matutina in auditorio universitatis coram Excelsa Repraesentatione atque multis spectatoribus 17 sacrae theologiae baccalaureos, et 16 doctores creavit. Inter doctores erant tres augustiniana graecenses, Ottinger, Tecker, Rosnák. Eodem tempore, prior monasterii augustiniani Fürstenfeldii, P. Augustinus Naller, inde ab anno 1747 doctor viennensis ³⁴⁾, sessionem inter doctores graecenses suscepit, ita ut numerus augustinianorum qui nunc votum et sessionem in facultate theologica graecensi habebant, duobus annis ad quinque ascendisset, cum nullum locum in ea ante annum 1760 habuissent ³⁵⁾. Hic numerus brevi tempore duplicatus est, ut infra videbimus. Apparet nunc cur Cortivo alter fundator facultatis theologiae suo tempore appellaretur.

In actu creationis baccalaureorum et doctorum distributus est liber a Cortivo compositus *Lucubratio theologica Augustini germanum exhibens dogma*, quorum titulum completum dabimus in fine huius partis. In appendice huius libri dantur nomina novorum baccalaureorum et doctorum qui hoc die gradus susceperunt. Unici religiosi inter hos baccalaureos sunt dominicani Caietanus Seth,

³⁴⁾ Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 335-336.

³⁵⁾ OeNB 10064.39r.

Dominicus Kelkhoffer, Ivo Grabner. Unici religiosi inter novos doctores sunt tres augustiniani iam memorati ³⁶⁾).

Hucusque fuit Cortivo unicus professor augustinianus in facultate graecensi, sed versus finem mensis augusti huius anni 1762, missum est ad priorem provincialem augustinianorum decretum ab Excelsa Repraesentatione, quo iussus est pro supplemento Patris Cortivo unum ex doctoribus augustinianis constituere. Hoc tamen cautum est, ne hic professor suppleret extra casum necessitatis, neve per hoc praetenderet ad ius successionis in cathedram. Praeterea sub titulo lectoris tantum supplere debebat, et praesente direttore, seu praeside facultatis. Post aliquot igitur dies, prior provincialis rescriptum ad Excelsam Rerpraesentationem dedit, proponens, ut expectandum erat, duos iuvenes lectores theologiae in conventu S. Pauli, scil. Antoninum Ottinger et Richardum Tecker, novos doctores graecenses ³⁷⁾. Videbimus infra quomodo inter hos duos P. Richardus electus, atque mense aprili 1765 successor Patris Cortivo Viennam translatus sit.

Anno scholastico 1763 fuit novus decanus facultatis P. Franciscus Schmelter, S.J., qui mense nov., diebus 18 et 20 anni 1762 electus est, dum P. Josephus Carl, etiam Jesuita, ut Rector Magnus confirmatus est in electione facultatis. Aula tamen viennensis non permisit ut hic rector in secundum annum confirmaretur, ita ut nova electio rectoris d. 19 maii 1763 locum habuerit. Non debuit esse electio oralis, sed potius scripta atque secreta : unusquisque elector (fuerunt magis quam 30, inter quos 4 augustiniani), quin proprium nomen indicaret, debebat scribere in scheda nomina pro primo, secundo, tertio loco. Jesuita P. Joseph Gundl primo loco propositus est cum 33 suffragiis ; secundo autem loco, cum 18 suffragiis, fuit Archidiaconus Paulus Hieronymus Schmutz, parochus in oppido Waitz ; tertio loco, cum 15 suffragiis, fuit Archidiaconus Grueber, parochus Murapontanus (Bruck an der Mur). Aula viennensis autem mense augusto, praetermisso primo candidato, nominavit ut Rectorem illum qui secundo loco propositus erat ³⁸⁾. Favor Jesuitarum apud gubernantes multum deciderat, etiam si resolutio aulica dierum 7 et 17 febr. 1764 confirmavit electionem decani P. Francisci

³⁶⁾ *Ibid.*

³⁷⁾ *Ibid.*

³⁸⁾ *Ibid.* 39v-40r.

Schmelter ³⁹⁾. Tamen, in hoc quoque casu, sicut pro electione rectoris iussi sunt electores facultatis in posterum, quantum fieri posset, tria subiecta pro decanatus quoque munere proponere; et ipsa confirmatio novi decani non intimata est Patri Cortivo ante diem 8 aprilis, quamvis a facultate unanimiter electus esset ⁴⁰⁾.

Cortivo annis 1763-1765, iam non amplius decanus, semper autem professor publicus theologiae augustinianae, continuavit praelectiones suas in nova cathedra. Non autem scripsit novos libros his annis. Recordamur enim illum et collegam dominicanum obligatos esse ad usum textus theologici ab oratoriano Juénin conscripti ⁴¹⁾. Die 29 apr. 1763 datum est ei absolutorium eius computum decanatum ex annis 1761 et 1762. Cum die 16 iulii 1763 statutum est in facultate theologica ut diaconi versum finem anni computum formarent, duo professores designati sunt ad hoc examinandum, ipse Cortivo et collega Jesuita Maister ⁴²⁾.

Iuxta methodum quae antea in universitate praevaluerat, Patres Cortivo et Dichanitz in disputationibus menstrualibus, quas incepit Cortivo d. 15 febr. 1764, invitarunt iuvenes confratres suos ut defendentes in his disputationibus essent. Sic, die 15 febr. 1764, sub directione Patris Cortivo fuit defendens augustinianus, fr. Joannes Baptista Elsnigg; cum d. 13 iunii Cortivo iterum disputationem menstrualement habuit, defendentis nomen non indicantur; mense augusto autem, die 20, solemnem habuit disputationem sub praesidio Patris Cortivo augustinianus P. Hyacinthus Geger, Imperatrici Mariae Theresiae dedicatam, cui adstitit Commissarius Comes de Storck et in qua distributus est liber continens varia opuscula S. Augustini. Ipsa enim imperatrix die 20 iulii per commissionem studiorum Patri Cortivo intimavit se acceptare dedicationem professorum augustinianorum et dominicanorum graecensium, quorum

³⁹⁾ *Ibid.* 39v.

⁴⁰⁾ *Ibid.*

⁴¹⁾ Cf. notas 7 et 8 huius partis, et etiam notas 19-23, ubi sermo est de decretis gubernii pro textibus et methodis. De hac re bene loquitur F. Maass: *Hier kam es nicht darauf an, was ein einzelner Theologe lehrte, wie weit er rationalistisch eingestellt war... sondern was der Staat seit 1776 den theologischen Fakultäten und Priesterseminaren zu lehren vorschrieb. Nur das hatte damals und für das nächste Jahrhundert in Oesterreich Geltung. Daher war auch eine freie theologische Meinungsbildung in der Habsburgmonarchie nicht möglich, in Zeitschrift für katholische Theologie* 83 (1966) 481.

⁴²⁾ OeNB 10064.40r.

igitur uterque solemnem disputationem eidem detulit ⁴³). Die autem 21 ian. 1765, habuit Cortivo, iterum defendente confratre P. Hyacintho Geger, disputationem menstrualement, quae pro eo ultima fuit in universitate graecensi ⁴⁴). Mense enim aprili, professor publicus in universitate Cortivo, et P. Richardus Tecker, lector theologiae in conventu graecensi augustiniano, modo officiali receperunt decreta commissionis graecensis studiorum, ex die 10 eiusdem mensis, quibus decisiones Mariae Theresiae intimatae sunt : ad cathedram viennensem vacantem per mortem P. Salviani Molitor, O.S.A. ⁴⁵), nominatus est Cortivo, *cum immutatione aliqua materiae docendae* ; cathedra autem graecensis theologiae augustinianae, nunc per discessum Patris Cortivo vacans, data est P. Richardo Tecker ⁴⁶).

Iussus est Cortivo per hoc decretum suscipere quidem cathedram defuncti confratris Salviani Molitor, qui inde ab anno 1752 sacros ritus in universitate viennensi docuerat ; novus autem professor viennensis non hanc materiam tradere debebat, sed potius theologiam moralem, sicut antea fecerant augustiniani in universitate viennensi inde ab anno 1640 usque ad annum 1752 ⁴⁷). A confratre Xysto Schier, qui hoc anno 1765 adhuc in conventu viennensi augustiniano vivebat, haec translatio Patris Cortivo ex universitate graecensi in universitatem viennensem, sic describitur :

decreto caesareo e graecensi theologica cathedra evocatus, 11 aprilis an. 1765 publicas, inaugurali oratione ommissa, lectiones prosecutus est... iterum ad intermissam theologiam moralem redire iussus puriori morum doctrinae cum socio professore dominicano tradendae indefessus incubuit. Sic enim constitutum est, ut, quemadmodum per alios (dominicanum itidem et augustinianum) jam ab an. 1759 sanior theologia docetur, sic per hos duos purior doctrina moralis discipulis implan-
tetur ⁴⁸).

Iam diximus in priore opusculo ⁴⁹), quomodo Cortivo Viennae inde ab hoc anno 1765 adhuc plures annos, non obstante senectute

⁴³) Ibid.

⁴⁴) Ibid. 40v.

⁴⁵) Cf. GAVIGAN, *op. cit.*, 326-327.

⁴⁶) *Chronicon* I ; OeNB 10064.40v, cum textu germanico decreti.

⁴⁷) Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 293 et 336-327, ubi fontes citantur.

⁴⁸) OeNB 7238.XVI.2.94r. Schier hic refert ad duos professores itales Viennam anno 1759 vocatos, dominicanum Petrum Gazzaniga et augustinianum Josephum Azzoni, pro quibus cf. GAVIGAN, *op. cit.* 340.

⁴⁹) GAVIGAN, *op. cit.* 334.

theologiam, praesertim moralem, docuerit. Non scripsit alios libros, praeter tres iam antea Viennae et Graecii compositos. Quoddam volumen *Protocolli Sacrae Facultatis* ⁵⁰⁾ adiuvat nos ad videndas materias ab illo per annos 1774-1783 traditas. Hoc volumen indicat eum habuisse praesertim theologiam moralem usque ad annum scholasticum 1777-1778, quando theologia pastoralis quoque ei concredita est. Tamen, aliud volumen in eodem archivo monstrat eum saltem aliquando ante hunc annum theologiam pastorem iam tradidisse. Die enim 4 nov. 1776, septuagenarius, tamquam professor theologiae pastoralis, praedicavit in missa solemni pro renovatione studiorum in Basilica S. Stephani celebrata ⁵¹⁾. Anno 1783 factus est senior facultatis ⁵²⁾. Postquam praelectiones usque ad hunc annum 1783 continuavit in theologia morali et pastoralis, etiam postea assistentia eius assidua ad congressus facultatis apparet in *Protocollo sacrae facultatis viennensis*, adhuc conservato ⁵³⁾. Post mortem eius, quae Viennae d. 25 febr. 1787 occurrit, sepultus est apud confratres suos in ecclesia SS. Sebastiani et Rochi in Via Regia, hora 4 cum dimidia pomeridiana d. 27 eiusdem mensis, comitante funus *Specabili hujus facultatis Decano et nonnullis designatis DD. Doctoribus* ⁵⁴⁾.

Una cum J. E. Tretter, de quo infra in parte septima loquemur, Cortivo praeeminet inter professores augustinianos graecenses, qui fere usque ad mortem in docenda sacra theologia permanserunt. Primus decanus facultatis theologiae graecensis quin fuerit Jesuita, per biennium decanus et quinquennium professor publicus graecensis, ab aequalibus et posteris appellatus est alter fundator huius facultatis.

OPERA

1. *Dissertatio Theologica de divinis nominibus seu de Usia, Homousion, et Hypostasi, de Essentia, natura, substantia et Persona: de peculiaribus item Divinarum Personarum nominibus,*

⁵⁰⁾ VUA, Band XXIV, *Gutachten*.

⁵¹⁾ VUA, *Acta facultatis theologicae* V.477.

⁵²⁾ *Ibid.* 619.

⁵³⁾ E.g. in tomo *Conclusa*, ubi inter d. 20 aug. 1765 et 8 maii 1781 rarissime abest, id quod de multis aliis professoribus eiusdem temporis dici non potest.

⁵⁴⁾ VUA, *Acta facultatis theologicae* V.619.

aliisque id genus graecis latinisque vocabulis quorum disputantibus de Trinitate frequens est usus, coram Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. Principe et Archiepiscopo Viennensi antiquissimae huius ac celeberrimae Universitatis Viennensis Protectore in litterario Rev... Doctorum consessu dicta et ea post potiori parte aucta ab Admodum Rev. Exim. ac Cl. P. M. Joanne Baptista Cortivo... Viennae, Typographia Kaliwodiana, 1754, in-4.

2. *Dissertatio de Stationis solis et lunae imperante Josue stupendo prodigio*, in-4. iuxta Xystum Schier⁵⁵⁾, Fuit haec ibidem dicta, adjecta vero est priori praefixa inscriptione : « Gemina dissertatio, una de divinis Nominibus, etc. ». Viennae, apud Haeredes Heyingerianos, 1755, in-4.

3. *Lucubratio Theologica Augustini germanum exhibens dogma de nobilissimis status innocentiae dotibus, supernisque praerogativis, sanctitate, integritate, immortalitateque*, auctore Magistro Fratre Joanne Baptista Cortico, O.S.A., SS. Theologiae doctore, Ejusdemque professore publico ordinario, necnon inclytae facultatis theologiae pro tempore decano spectabili, honoribus Adm. RR. Rel. perillustrium, praenobilem, nobilem, excellentium ac eruditissimorum D.D. cum in Alma ac Celeberrima Universitate Graecensi alii prima, alii vero suprema theologiae laurea insignirentur, oblata anno 1762, die 31 Augusti. Graecii, typis haeredum Widmanstadii, pp. 269+6 in appendice (ubi dantur nomina novorum baccalaureorum atque doctorum.)

II. RICHARDUS TECKER

Sicut pro Cortivo, ita pro hoc secundo professore graecensi ex ordine S. Augustini, nolumus omnia repetere quae iam alibi scripsimus¹⁾. Hic igitur tractabimus praesertim de rebus nobis antea ignotis cum antea de eo scribebamus, atque de eventibus eius vitae in urbe et universitate graecensi annis 1759-1777. Viennae d. 5 maii 1732 natus, atque in ordinem augustinianum d. 12 oct. 1749 ibidem ingressus, ad tonsuram et ordines minores d. 19 dec. 1750 in basilica S. Stephani admissus est²⁾. In eadem basilica ordines sub-

⁵⁵⁾ OeNB 7238.XVII., 60r.

¹⁾ GAVIGAN, op. cit. 349-352.

²⁾ VProt. Ord. 37r.

diaconatus et diaconatus diebus 16 iunii 1753 et 8 maii 1754 recepit ³⁾. Die 4 maii 1755, in archiepiscopali sacello domestico viennensi, presbyter factus est ⁴⁾. Fecerat studia philosophica et theologica in conventu augustiniano viennensi, ubi apparet inter theologos d. 24 apr. 1752 ⁵⁾. Die dominica, 29 apr. 1755, circiter una hebdomade ante ordinationes sacerdotalem tamquam theologiae auditor *splendide sub praesidio prioris provincialis Cortivo* (hucusque Regentis studiorum ante electionem in provincialem) *defendit theses de virtutibus theologicis coram publico praeclaro*, id quod effecit ut duobus post diebus in eodem capitulo provinciali nominatus eit *correpetitor philosophiae, obtento sacerdotio* ⁶⁾. Mansit igitur tamquam correpetitor in conventu viennensi, donec in congregatione intermedia, diebus 30 aug. - 3 sept. habita, missus est Bruggam, ut esset in conventu nostro lector philosophiae et decisor casuum. In eodem conventu factus est per sequens capitulum provinciale lector theologiae et Sacrae Scripturae, manens ut decisor casuum ⁷⁾. Proxima autem congregio intermedia eum inde transtulit Graecium, ubi iuvenis lector per 18 annos mansurus erat, donec electus est in Assistantem Germaniae. In conventu graecensi S. Pauli factus est mense sept. 1759 lector philosophiae et linguae hebraicae ⁸⁾. Per capitulum provinciale mense aprili 1761 P. Richardus nominatus est ibidem lector secundarius theologiae, historicus, decisor casuum ⁹⁾. Sic via aperta est ut P. Tecker lauream theologicam in universitate graecensi susciperet, ubi confrater eius Cortivo, quondam eius professor in conventu viennensi, tunc professor publicus et decanus erat. Confirmatus est Tecker tamquam lector theologiae in conventu graecensi per capitulum provinciale anno 1764 ¹⁰⁾. Hic labor domesticus eius certe fuit bona praeparatio proxima ad futurum officium professoris publici graecensis tamquam successor Patris Cortivo, Viennam anno 1765 translatus, ut supra vidimus. Provincia enim augustiniana austriaca, in capitulo provinciali Graecii mense

³⁾ *Ibid.* 64v et 75v.

⁴⁾ *Ibid.* 88v.

⁵⁾ Ff 44.168v.

⁶⁾ Ff 52.97r et 98r.

⁷⁾ *Ibid.* 170v.

⁸⁾ *Ibid.* 365v, d. 4-6 sept.

⁹⁾ *Ibid.* 420v, d. 15 apr. 1761.

¹⁰⁾ Ff 50.89r, mense maio.

aprili 1761 celebrato, statuerat, iuxta voluntatem gubernii austriaci, ut studia nostra conformarentur publico studio universitatis :

ita ut domo praelegantur iidem tractatus, qui in universitate... ex eodem auctore Casparo Juénin, utpote qui continet genuina Augustini dogmata, quique praescriptus etiam fuit Universitatis professoribus... Quia vero in aliquibus jejunos esse videtur praedictus auctor, conceditur... ut addere dictando nonnulla valeant, ac possint... Tandem statuere etiam placuit, ut PP. Lectores, quemadmodum Viennenses in Viennensi, ita Graecenses in Graecensi universitate actus suos, et tentamina pro doctorali laurea necessario subeunda, imposterum praestent ¹¹⁾.

In capitulo provinciali anteriore, Baadae d. 18 aprilis 1758, definitores provinciae austriacae institerant, ut schola Aegidiana et methodus Patris Joannis Laurentii Berti, augustiniani itali ¹²⁾, in theologia adhiberetur :

sequentia statuit Venerabile Diffinitorium, et quidem : Primo : ut retentis coeteris quae in praeterito capitulo provinciali in puncto reformationis studiorum decreta fuere, id praeterea, pro majori emolumento et profectu studiosae nostrae Iuventutis observetur : ut Lectores sive theologiae sive philosophiae disciplinas hasce in scriptis tradant, Lectores quidem theologiae conformando se methodo Nostri sapientissimi P. Magistri Berti, servatis tamen illis caracteristicis (!) sententiis alias Scholae nostrae Aegidianae propriis ; Lectores vero philosophiae Antiperipateticam philosophiam, quantum fieri potest, normae Scholasticae accommodando ¹³⁾.

Haec statuta probata sunt a priore generali F. X. Vázquez, d. 13 iunii 1758 ¹⁴⁾. In congregatione intermedia, mense sept. 1762 Viennae celebrata, etiam hoc additum est :

statuit Venerabile Diffinitorium pro incremento studiorum, quod etiam studentes qui lectiones publicas in Universitate Graecensi frequentant, si sint sacerdotes, pro gradibus defendere

¹¹⁾ Ff 52.422v-424r; cf. OeNB 10064.37v.

¹²⁾ Pro quo cf. F. LANG, LTK 2.269; et B. VAN LUIJK, « Gianlorenzo Berti Agostiniano (1696-1766) », in *Rivista di Storia della chiesa in Italia* 14 (1960) 235-262, 383-407.

¹³⁾ Ff 52.268r.

¹⁴⁾ Ibid. 268v.

*possint, ac valeant, ad gradus tamen non admittantur, priusquam non fuerint ad lectoris munus promoti*¹⁵⁾.

Videmus igitur quomodo omnino secundum voluntatem definitorum provinciae austriacae esset, ut Tecker et Ottinger, nostri lectores theologiae graecenses, una cum Rosnák, lectore philosophiae ibidem, studia sua in universitate graecensi continuarent. Loquentes supra de decano Cortivo, vidimus quomodo hi tres iuvenes lectores conventus graecensis in universitate locali lauream suscipere deberent. Die igitur 27 aug. 1761 subiit P. Richardus primum tentamen in universitate graecensi, et quidem in iure canonico¹⁶⁾. Propter eius labores in conventu viennensi ut correpetitor inde ab anno 1755, dein ut lector in conventibus bruggensi et graecensi, ut supra vidimus, non fuit res difficilis pro iuveni Tecker a priore provinciale testimonia recipere, quod debitam habebat scientiam, atque domi sub eius professoribus (praesertim Cortivo) theses theologicas defenderat, iuxta decreta quae Excelsa Repraesentatio ad decanum Cortivo d. 18 iunii et d. 6 aug. 1762 misit. Iuxta haec decreta, ut iam indicavimus, tres lectores augustiniani graecenses — Ottinger, Tecker, Rosnák — privatim in baccalaureos creati, dein examine rigoroso diebus 27 et 28 augusti superato, die 31 aug. 1762 publice in auditorio magno cum tredecim aliis doctores facti sunt¹⁷⁾.

Infra de reliquis duobus, Ottinger et Rosnák, locuturi, hic tractabimus de P. Richardo. Iam erat non tantum lector in conventu nostro S. Pauli graecensi, sed etiam doctor universitatis graecensis. Pro tempore mansit in conventu tamquam lector, ubi non tantum confirmatus est anno 1764 ut lector theologiae, ut supra vidimus, sed etiam in congregatione intermedia anno sequenti factus est director studii. Hic titulus mutatus est in titulum magis honorificum Regentis studiorum anno 1767, in quo munere confirmatus est annis 1770 et 1773¹⁸⁾. Conciones sacrae, quas in ecclesia graecensi S. Pauli habuit, manifestant eum hoc tempore magnopere cultum sui confratris S. Nicolai Tolentinatis fovisse, ut apparet in elecho operum quae de hoc sancto inter annos 1760-1766 Graecii publicavit¹⁹⁾.

¹⁵⁾ Ff 50.9r, d. 13-14 sept.

¹⁶⁾ OeNB 10064.38r.

¹⁷⁾ *Ibid.* 38v-39r.

¹⁸⁾ Ff 50.141v, d. 2-4 sept. 1765; *ibid.* 282r, mense maio 1767; *ibid.* 393v, mense maio 1770; Ff 54.155r, mense maio 1773.

¹⁹⁾ Cf. elenchum operum eius in fine huius secundae partis.

Nunc autem, videamus quomodo Tecker secundus professor theologiae augustinianus in universitate graecensi factus sit. De Cortivo loquentes, iam supra explicavimus quomodo prior provincialis Bernardus Schlechtleitner versus finem mensis augusti (ergo aliquot diebus antequam Tecker in doctorem creatus est) ab Excelsa Repraesentatione decretum receperit, quo iussus est unum ex doctoribus sui ordinis pro supplemento P. Magistri Cortivo in professura publica proponere, sine tamen iure successionis ²⁰). Quia tres erant novi doctores graecenses, e quibus lector theologiae P. Tecker unus erat, dum Ottinger quoque lector theologiae et doctor erat, (Rosnák autem non fuit theologiae, sed philosophiae lector), Tecker et Ottinger a priore provinciali propositi sunt circa finem mensis nov. 1762 ut candidati, utpote qui omnia requisita, una cum quadam experientia in theologia docenda, haberent ²¹). Nil statim factum est, quia Cortivo suas praelectiones sine interruptione in universitate habebat, dum Ottinger et Tecker tamquam lectores theologiae in conventu augustiniano graecensi manebant. Unus ex illis videbatur destinatus, iuxta decretum mensis augusti 1762 et propositionem prioris provincialis mense nov. eiusdem anni, ut supplementum pro Cortivo. Neque in universitate graecensi tantum, sed in viennensi quoque uterque factus est doctor, cum Viennae diebus 3 (Ottinger) et 4 (Tecker) sept. 1764 in Palatio universitatis actum repetitionis habuerunt, atque die 5 sept. ambo ad sessionem admissi sunt ²²). Quia nunc Ottinger et Tecker eadem requisita habebant, verosimiliter neuter eorum sciebat, num ipse an alter supplementum pro Cortivo fieret. Uterque in universitate graecensi partem in disputationibus pluries habebat, e.g. d. 28 aug. 1763 et 11 mai 1764 ²³). Mense autem aprili 1765, responsum definitivum datum est, cum decreta commissionis studiorum Patrem Cortivo quidem Viennam transtulerunt, P. Richardum autem iuxta voluntatem Mariae Theresiae eius successorem in cathedra theologiae augustinianae atque

²⁰) OeNB 10064.39r.

²¹) *Ibid.*

²²) VUA, *Protocollum sacrae facultatis, Conclusa*, sub hoc die; *ibid.*, *Actus et Tentamina 1759-1814*, 17; OeNB 10064.40r, ubi autem minus exacte dicitur dies 3 sept., quo die habuit actum P. Antoninus Ottinger. P. Richardus die sequenti habuit suum actum, ut magis exacte notatur in p. 17 voluminis *Actus et Tentamina* in VUA.

²³) OeNB 10064.39v-40r.

examinatorem regium in universitate graecensi fecerunt ²⁴). Die 15 igitur eiusdem mensis, Tecker habuit primam lectionem publicam coram viginti auditoribus ²⁵). Anno sequenti 1766 incepit annum scholasticum cum 15 auditoribus, quorum numerus autem mox ad 40 ascendit ²⁶).

Episcopus princeps seccoviensis (Seckau) horum temporis fuit Josef II. Philipp Graf von Spaur 1763-1779, antea quidem molinista, deinde autem huius systematis theologici inimicus, qui novae scholae augustino-thomisticae contra Jesuitas favebat, ut infra videbimus. Die 10 iunii 1765, breviter post eius nominationem in professorem publicum, Tecker atque eius collega dominicanus Dichanitz ad principem episcopum scripserunt libellum supplicem. petentes ut consistorii membris adiungerentur. Eodem die princeps episcopus eos nominavit consiliarios consistorii archiepiscopalis. Die 18 eiusdem mensis ambo professores iuramentum archidiacono et parcho graecensi praestiterunt. Factus est P. Richardus etiam examinador cleri pro districtu graecensi ²⁷). Etiam in ordine suo, plures honores P. Richardo collati sunt, utpote qui d. 30 sept. 1765 praesentatus in ordine factus sit, atque d. 27 iulii 1776 Magister de numero ob mortem confratris austriaci Antonii Capler ²⁸). In universitate graecensi incepit anno scholastico 1765-1766 disputationes menstruales ut professor publicus habere, quas usque ad annum 1777 continuavit, quando Graecio derelicto Romam tamquam Assistens Generalis ordinis sui profectus est. Eisdem annis saepe praesidebat, cum collega dominicano, in actibus parvis et magnis candidatorum facultatis theologicae ²⁹). Anno enim 1766, e.g., disputavit diebus 10 ian., 18 martii, 27 iunii, 13 dec. ; anno 1767, die 10 iulii ; anno 1768, diebus 13 apr., 22 iulii, 9 dec. ; anno 1769, d. 3 martii ; anno 1770, diebus 16 febr., 18 iulii, 14 dec. ³⁰). Eisdem annis quibus in universitate graecensi dogmaticam tradebat, Sacram Scripturam in conventu nostro graecensi docebat, ubi anno 1767 a Priore Generali nominatus est Regens studiorum ³¹). Anno 1775, cum in universi-

²⁴) *Ibid.* 40v; *Chronicon* 1.

²⁵) OeNB 10064.40v.

²⁶) *Ibid.* 41r.

²⁷) OeNB 10064.40v-41r; BAR 353.144.

²⁸) Dd 208.69v; Dd 219.45v-46r.

²⁹) OeNB 10064.41r-43r.

³⁰) *Ibid.*

³¹) Dd 209.95r, d. 30 martii 1767.

tate primarius theologiae professor esset, factus est etiam ibidem bibliothecarius pro tempore, sicut postea Romae in Bibliotheca Angelica ordinis sui opus arduum atque utile fecit ³²⁾. Una cum collega dominicano Dichanitz, praesedit varias disputationes publicas scholae augustino-thomisticae, e.g. pro R. D. Antonio Duimich, d. 24 iulii 1767, qui postea primus inter auditores huius scholae laurea doctorali insignitus est ³³⁾, cum decanus erat augustinianus Martinus Rosnák.

Gaudebat P. Tecker protectione amicorum potentium in urbe graecensi atque regione vicina, praesertim principis episcopi secco-viensis, Josephi von Spaur ³⁴⁾, cuius amicitia erga mendicantes professores in universitate graecensi inimicitiam erga Jesuitas comitabatur, ut pluries apparuit tempore quo Tecker professor fuit. Die enim 5 sept. 1766, habuit in universitate sic dictum actum magnum R. D. Schober, capellanus ecclesiae parochialis sub auspiciis ipsius episcopi, studiorum praesidis. Ipse episcopus non tantum comparuit, sed etiam quasdam difficultates proposuit defendenti contra systema gratiae ab extrinseco efficacis. Obiectionibus suis haec fere verba praemisit :

Ponam aliquas difficultates ex S. Augustino contra systema gratiae ab extrinseco efficacis, antequam autem eas proferam, profiteor etiam me aliquando huic systemati adhaesisse, ast postquam incepti legere S. Augustinum, adeoque puriores ex ipso fonte bibere aquas, deprehendi hunc S. Doctorem huic systemati maxime adversari, id quod clarum esse videtur ex sequentibus momentis ³⁵⁾.

His dictis, praesul produxit singillatim quinque textus ex operibus Augustino quae modo contrario molinistis explicabat, sic manifestans eodem tempore et suam dexteritatem theologicam et animum versus Jesuitas hostilem.

Rursum. d. 21 aug. 1767, cum a Jesuitis dedicata esset disputatio huic principi episcopo von Spaur, ipse primum thesim eorum

³²⁾ KRONES 439-444; LÓPEZ-BARDÓN 492.

³³⁾ *Chronicon* 31; OeNB 10064.43r.

³⁴⁾ Pro quo videsis A. POSCH, *Die kirchliche Aufklärung in Graz und an der Grazer Hochschule* (Graz 1937) 36-38; etiam J. WODKA, *Kirche in Oesterreich* (Wien 1959) 302. In appendice primo edimus epistolam ab eo d. 19 nov. 1767 ad augustinianum professorem viennensem, Augustinum Gervasio.

³⁵⁾ OeNB 10064.41r.

de sufficientia attritionis in poenitentia impugnavit, dein decimam quartam thesim eorum reprehendit, quae sic sonabat : *Atque de hac gratiae necessitate non autem de gratia necessitante aut intrinsece efficaci controversia fuit inter S. Augustinum et Pelagianos, ac Semipelagianos*, eo quod in hac sententia, aiebat, opinio Thomistarum non satis discriminaretur a sententia Jansenistarum de gratia necessitante, sed quod in ea confunderetur gratia necessitans cum gratia intrinsece efficaci ³⁶⁾.

Inimicia eius versus molinismum atque amicitia versus P. Richardum vel clarius apparet in epistula Seccoviae d. 30 Aprilis 1767 italice scripta, quam misit ad augustinianum Gervasio, professorem viennensem publicum inde ex anno 1763 ³⁷⁾. Si eam recte intelligimus, ipse princeps episcopus fuit auctor libelli *de libertate sub delectatione victrici salva*, de qua sermo est in eadem epistula, quamvis non clare se exprimat, ita ut Gervasio quoque tamquam auctor posset indicari. In eadem epistula videtur amicitia principis episcopi non tantum pro aliquibus augustinianis sicut Gervasio et Tecker, sed pro tota schola augustiniana.

Alia quoque indicatio amicitiae principis episcopi erga augustinianum Tecker et dominicanum Dichanitz, atque animi eius Jesuitis infensi invenitur in eodem anno 1767, in controversia de libro, qui inscriptus est *Breves notitiae ad bonam directionem animarum* ³⁸⁾. Non solum ex consilio, sed etiam ex mandato Celsissimi Principis von Spaur iam a typographo graecensi anno 1767 in lucem edi debebat hic liber, dirigentibus Patribus Tecker et Dichanitz, cui addere volebant litteras praepositi generalis S. J. Thyrsi González a Papa Innocentio XI licentiam scribendi contra probabilismum petentis. Princeps episcopus autem Viennae erat, cum anno 1767 typographus graecensis ab Excelsissimo Gubernio prohibitus est, ne hunc librum ederet. Eodem tempore interdictum est ne quidquam imprimeretur, non probatum ab Excelsissimo Gubernio. Ad monasteria graecensia missum est hoc decretum prohibitionis mense iulio 1767. Die enim 24 huius mensis debuit distribui hic liber, prohibitio autem fecit ut eius impressio forsitan, et eius distributio, certe, differretur in annum sequentem, ut in titulo pleno apparet.

³⁶⁾ Ibid. 41v.

³⁷⁾ Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 346 pro Gervasio his temporibus Viennae praelectiones habente. Epistula invenitur in OeNB 7237.XIII.15r-16v.

³⁸⁾ OeNB 10064.41v.

Loco illius distributus est liber Francisci de Puteo, *de studiis ecclesiasticis*, quem ex lingua italica latine verterat Franciscus de Paula Tomicich hoc anno 1767 ³⁹⁾. Valde iratus, princeps episcopus von Spaur potuit epistolam mense decembri 1767 ab ipsa imperatrice Maria Theresia obtinere, per Principem de Colloredo scriptam, qua episcopo principi seccoviensi tribuit omnimodam auctoritatem pro censura librorum fori theologici, prorsus inconsulto gubernio, cui propter prohibitionem mense iulio factam gravis data est reprehensio, atque simul vetitum, ne attentaret librum ullum ab episcopo approbatum reprobare ⁴⁰⁾. De facto, hic liber quem anno 1767 gubernium prohibuerat, adiecto libello Rmi. P. Generalis Thyrsi González distributus est d. 18 martii 1768, sub praesidio Patrum Tecker et Dichanitz, cum croata Boszilyevacz pro actu parvo defendit. Auctor codicis ms. OeNB 10064 habet laetum commentarium de hac distributione : *Nec quempiam pro licentia id faciendi (sola Principis nostri [von Spaur] roborati auctoritate), Professores nostri [Tecker et Dichanitz] interrogaverunt* ⁴¹⁾.

Ut videmus, relationes inter noviter introductam scholam augustinio-thomisticam ex una parte et veterem scholam molinistam graecensem ex altera parte vix bonae fuerunt. In hac querela princeps episcopus von Spaur constanter favebat scholae mendicantium. Hoc aperte patebit ex alio conflictu quam Patres Tecker et Dichanitz habuerunt cum Jesuitis graecensibus. Occasio fuit oratio d. 4 nov. 1767 in renovatione studiorum habita a P. Joanne Baptista Peck, S.J., novo professore linguae hebraicae in universitate. Hic professor, adhortatus suos auditores ad dimicandum contra haereticos et infideles, addidit intra ipsum sinum Ecclesiae maximum existere periculum ex parte hostium latentium, qui sub specie pietatis novas doctrinas disseminarent : eundum ergo esse media via inter oppositos scopulos. Hoc interpretati sunt aliquot auditores tamquam defensionem probabilismi ex una parte et ex altera parte impugnationem tam scholae augustinio-thomisticae quam scholae Celsissimi principis episcopi seccoviensis in Domo Presbyterorum ⁴²⁾. De hac

³⁹⁾ *Ibid.* 41v-42r. Iuxta A. POSCH, *op. cit.* 125-125, auctor fuit sacerdos ex oratorio romano, Francesco da Pozzo, cuius liber a F. de Tomicich ex italico versus anno 1767 editus est Graecii.

⁴⁰⁾ OeNB 10064.42r.

⁴¹⁾ *Ibid.* Cf. nostrum appendicem primum, ubi reproducimus epistolam principis episcopi, quae de hac et de sequenti re tractat.

⁴²⁾ OeNB 10064.41v-42r.

quoque re existit in OeNB 7237. XIII. 13r-14v epistula, quam in appendice primo edimus, italice scripta ex Seccovia a principe episcopo d. 19 nov. 1767 ad P. Augustinum Gervasio, O.S.A., in qua episcopus suum favorem erga Patres Tecker et Dichanitz declarat, pollicens se eos contra Jesuitas adiuturum, in favorem *sanae doctrinae*. Quamvis hae res praeteritae nobis maxime displiceant, tamen laetamur quod hodie hae differentiae inter varias scholas non tantas inimicitias producant, sicut ante duo saecula. Ipse episcopus, ad quem duo mendicantes suam protestationem attulerant, tamquam episcopum atque caput commissionis studiorum, praeparavit declarationem, qua orator P. Peck affirmavit se per mediam viam noluisse probabilismum intelligere, neque per oppositos scopulos antiprobabilismum aliorum. Die 3 ian. 1768 apud Celsissimum Principem in praesentia duorum professorum Tecker et Dichanitz, orator hanc legit declarationem, sic liti quidem publicum finem imponens, non autem dissipans mutuas suspiciones, quae proh dolor in aliis quoque locis horum temporum apparent inter Jesuitas et professores scholae augustino-thomisticae. Tamen, P. Peck postea creatus est doctor facultatis graecensis a decano ordinis S. Augustini, P. Martino Rosnák, die 8 aprilis 1770 ⁴³).

Alius amicus qui plurimum poterat fuit pro P. Tecker Franciscus de Paula Tomicich, director studiorum, qui tamquam commissarius caesareo-regius decreto aulico diei 13 ian. 1777 debuit Academias Labacensem (Laibach) et Goritiensem (Görtz) visitare, *concesso sibi actuario eligendo, quem voluerit* ⁴⁴). Amicus ab eo electus ad hoc opus actuarii perficiendum fuit P. Richardus, qui cum eo profectus est d. 22 martii eiusdem anni, quo tempore iuvenis doctor augustinianus, nuper in universitate graecensi creatus, P. Joannes Evangelista Tretter supplevit pro P. Richardo in schola theologiae dogmaticae. Ad finem mensis iunii reverterunt Graecium Commisarius Tomicich atque eius actuario Tecker ⁴⁵).

Per annos eius graecenses, P. Richardus non tantum disputationes suas mensuales habere debuit, sed etiam praesidere plures publicas aliorum disputationes. Legimus, e.g., de eius praesidentia, aliquando una cum collega dominicano, in disputatione publica de binis sacrae theologiae partibus sustenta a R. D. Gregorio Freytag,

⁴³) *Ibid.* 43r.

⁴⁴) *Chronicon* 171.

⁴⁵) *Ibid.* 173-174.

d. 14 aug. 1768 ; in disputatione publica de universa theologia scholastico-dogmatica habita a R. D. Jacobo Matthia Winckler, d. 24 maii 1769 ; in disputatione publica sustenta ex universa theologia scholastico-dogmatica ab augustiniano P. Sigisberto Hueber, d. 12 aug. eiusdem anni ; in disputatione publica de universa theologia habita ab augustiniano P. Melchiorre König, d. 17 iunii 1772 ⁴⁶⁾. Quaestiones etiam tamquam professor proponere debuit, e.g., die 23 aug. 1769, cum proposuit quaestiones ex theologia morali resolvendas auditoribus theologiae ; et d. 23 aug. 1770, cum auditoribus theologiae proposuit quaestiones e Sacris Canonibus et theologia resolvendas ⁴⁷⁾. Ut iam antea indicavimus, de Cortivo loquentes, textus ab ipso gubernio pro professoribus impositus est. Modo generali iam d. 9 dec. 1774, gubernium decrevit universitatis graecensis lectiones conformandas esse ad formulam universitatis viennensis ⁴⁸⁾. Deine, inde ab anno scholastico 1776-1777 (ultimo anno professorae graecensis P. Richardi) textus Casparis Juénin, qui anno 1760 impositi erant, commutati sunt per decretum aulicum viennense cum novis textibus a duobus mendicantibus, Gazzaniga et Bertieri, professoribus scholae augustino-thomisticae viennensis compositis, *Theologia Dogmatica in systema redacta* ⁴⁹⁾. Sic pro P. Richardo quoque existebat haec ratio, iam antea indicata, cur ipse nullum plenum textum dogmaticum composuerit, utpote qui semper textus alienos explicare deberet, quos gubernantes imposuerant.

Saltem breviter memorandi sunt labores praedicandi quos tulit P. Richardus per fere 20 annos in urbe Graecio. Quamvis copiosi annales conventus S. Pauli perierint, videmus ex solis titulis operum quae Graecii inter annos 1760-1771 Tecker publicavit, quomodo magno cum zelo in ecclesiis localibus, praesertim in ecclesia sui ordinis praedicaverit, amorem peculiarem suo confratri S. Nicolao de Tolentino tribuens.

Salarium quod pro his operibus recepit, vix fuit magnum. Die enim 21 dec. 1769 in congregatione facultatis, lectum est caesareo-regium decretum, datum Viennae d. 22 iulii, Excelso Interioris Austriae Gubernio d. 22 aug. praesentatum, ab eodem consilio d.

⁴⁶⁾ *Ibid.* 47, 64, 72, 120.

⁴⁷⁾ *Ibid.* 72 et 93.

⁴⁸⁾ GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. I, Heft 10.8.

⁴⁹⁾ Pro Juénin, vide notam 8 primae partis, ubi de Cortivo loquebamur : pro textibus Gazzaniga-Bertieri, cf. GAVIGAN, *op. cit.* 355.

16 sept. intimatum et decano facultatis d. 20 sept. praesentatum, vi cuius : *Augustissima ac Clementissima Nostra Domina* [Maria Theresia] *statuit, ut usque dum melior fundus a se assignetur, ex sacrae facultatis aerario binis hujatibus PP. Professoribus Scholae Augustiniano-Thomisticae* [Tecker et Dichanitz], *ad summum 100 floreni pendantur, aut si residuum tantae summae non foret sufficiens, tantum pecuniae, quantum post taxarum distributionem omnibus Professoribus aequaliter remanserit* ⁵⁰). Intelligemus hanc summam non pro magna habitam esse, recordantes 100 florenos omnibus candidatis ad lauream theologicam graecensem per se solvendo fuisse ⁵¹). Neque in universitate viennensi his temporibus solvebantur bona stipendia professoribus qui ordinibus mendicantibus pertinebant. Xystus Schier enim indicat stipendium pro professore augustiniano Azzoni partim conventus viennensis, partim prioris generalis augustinianorum contributione sustentatum esse, atque id per influxum augustiniani Gervasio stipendio caesareo substitutum ⁵²). Neque bonum fuit salarium quod breviter postea his professoribus viennensibus dabatur, ut apparet in *Protocollo sacrae facultatis* pro die 21 oct. 1773, nulla paginarum numeratione facta, ubi pro professoribus augustinianis Cortivo et Bertieri assignatur quidem salarium 300 florenorum, quod tamen ex pensionibus eorum sumendum erat ! Etiam post exantlatos labores docendi in universitate per tredecim annos, cum Tecker Romam ut Assistens Generalis vocatus esset, decreta est ei remuneratio 50 aureorum (Dukaten), d. 24 dec. 1777 ⁵³).

Tecker non debebat dies suos terrestres Graecii finire. Anno enim 1777, cum nullo modo esset senex, poterat quidem credere se adhuc destinatum esse per multos annos ad theologiam Graecii tradendam. In capitulo generali autem ordinis sui Romae d. 24 maii huius anni electus est in Assistantem Generalem pro Germania ⁵⁴). Mense igitur augusto cathedram graecensem resignavit, in qua successor eius per concursum fuit iuvenis augustinianus viennensis, P. Joannes Evangelista Tretter. Romam mense octobri profectus est Tecker ⁵⁵).

⁵⁰) GOA, *Theologische Studien 1715-1802*, XII/1-A-F; *Chronicon* 78.

⁵¹) CeNB 10064.39v.

⁵²) OeNB 7372.18r.

⁵³) GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. I, Heft 15.19.

⁵⁴) Dd 219.97v.

⁵⁵) BAR 353.145.

Nolumus repetere ea quae iam diximus alio loco de activitate P. Richardi in curia ordinis augustiniani in Urbe, ubi per 22 annos Assistens Generalis mansit, unicus austriacus Romae degens postquam Josephus II communicationes sustulit inter monasteria austriaca et superiores exteros ⁵⁶⁾. Merita specialia consecutus est Tecker in conficiendo catalogo librorum in Bibliotheca Angelica, anno 1870 augustinianis per vim sublata, ubi etiam hodie pulchra manus eius in pluribus voluminibus catalogorum lectores adiuvat. Inter ultima verba ab eo scripta sunt haec : *1797 in octobri gravi morbo scorbutino et paralysi ad pedum malleolos correptus, sibi soli vixit* ⁵⁷⁾. Obiit Romae d. 12 nov. 1799 ⁵⁸⁾.

OPERA ⁵⁹⁾

A. Quae ipse composuit :

1. *Nicolaus von Tolentin als ein Beschützer der Kirche in einem Sinngedichte vorgestellt*. Grätz 1761, in-8 ⁶⁰⁾.
2. *Fünf aus dem Leben und Tode des heiligen Nicolaus von Tolentin gesagene Sonderheiten*. Grätz 1763, in-8.
3. *Ereiferung der verkehrten Natur wider das vielfältige Wunderwirken des heil. Nicolai von Tolentin*. Grätz 1766, in-8.
4. *Geistliche Erinnerungen über einige fromme Beyspiele des heil. Nicolaus von Tolentin*. Grätz 1766, in-8.
5. *Die Lebensgeschichte der Heiligen Elisabeth auf Veranlassung ihrer geistlichen Töchter zu Wien auf der Landstrasse zur Erbauung und Nachfolge gottliebender Seelen aus einigen älteren Werken und Beschreibungen genommen und mit beygefügtten frommen Ueberlegungen herausgegeben*. Grätz gedruckt bey den Widmannstätterischen Erben 1772.

⁵⁶⁾ Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 349-350 pro annis 1777-1799, quos Tecker Romae transegit.

⁵⁷⁾ BAR 353.146.

⁵⁸⁾ Dd 240.11r. Mortis eius dies et annus generatim falso dantur.

⁵⁹⁾ Cf. GAVIGAN, *op. cit.* 351-352, ubi antea dedimus operum P. Richardi elenchum, quem hic corrigimus et augemus.

⁶⁰⁾ Hoc opus, et duo sequentia, 2-3, sunt conciones habitae in nostra ecclesia graecensi pro novena in honorem S. Nicolai; cf. OeNB 7238.XVI.1, 69rv, pro his operibus.

6. *P. Concinae Dissertatio de Insufficiencia Contritionis* ⁶¹⁾.
7. *Bonifacii Schneidenbachii de ratione solvendi ac ligandi in Sacramento poenitentiae*. Salzburg 1774.
8. Plures epistulae, e.g., ad Xystum Schier ex Graecio scriptae, d. 22 iun. 1769 ; cf. OeNB 10214q 29r.
9. *Indices* librorum in Bibliotheca Angelica Romana, qui etiam hodie adhibentur ut catalogus pro libris ante mortem P. Richardi in bibliotheca inventis. Tituli quos ille scripsit per manum pulcherriam facile notantur.

B. *Opera ab eo edita, versa, transcripta, oraliter prolata, ad-aucta.*

1. *Oratio de Augustissimo Verbi Incarnati Mysterio*. Viennae 1753, ex Typographia Kalliwodiana, in-4 ⁶²⁾.
2. *Sechs Erwägungen, über das Verhalten des heil. Augustinus gegen sich, dem Nächsten, und Gott, samt Tagzeiten und Litaney, etc. auf die sechs Sonntäge zu Grätz*. Grätz 1771, in-8 ⁶³⁾.
3. *Die Bischöfe und Erzbischöfe von Wien, aus den Manuscripten des sel. verstorbenen P. Xistus Schier*. Grätz 1777, atque iterum 1786 ⁶⁴⁾.
4. Priore generale Francisco X. Vázquez iubente, P. Richardus latine reddidit opus gallicum, hodie in Bibliotheca Angelica, videlicet : D. Mougénot, O.S.B., *Tournelius errorum et malae fidei convictus, in iis, quae de Gratia scripsit, opus a Richardo Tecker ord. S. Augustini in latinum versum*. Romae 1778. Cf. BAR, codd. mss. 493-495 (D. 7.19-21), pp. 734, 248, 270.
5. Transcripsit fol. 1-30 codicis ms. BAR 148 (B. 6.1), qui sic inscriptus est : *Alphabetum fratris Felicis Milensii, de nonnullis*

⁶¹⁾ WURZACH, *Biographisches Lexikon des Kaisertums Oesterreich* 43.174, qui affirmat hoc opus, atque sequens, n° 7, esse opera ipsius Tecker.

⁶²⁾ Ipse Tecker affirmat hanc orationem, non a se, sed a P. Anselmo Annacker compositam; cf. BAR 353.144, quamvis in OeNB 7238.XVI.1 ipsi Tecker attribuitur.

⁶³⁾ Xystus Schier, qua erat modestia, hoc opus P. Richardo tribuit in OeNB 7233.XVI.1, 69r. Tamen auctor principalis fuit ipse Xystus; ipse enim composuerat decem considerationes pro totidem dominicis. Nostrates graecenses autem, cum devotionem per sex dominicas in honorem S. Augustini introduxissent, sex tantum ediderunt. P. Tecker illa composuit vel ordinavit, quae considerationibus superadditae sunt; cf. LÓPEZ-BARDÓN 500, n° 15.

⁶⁴⁾ Cf. WURZACH, *loco citato*.

Teutoniae, Sarmatiaeque citerioris monachis et monasteriis Ordinis Erem. S. Augustini. Expl. = Copiavi Romae in Bibliotheca Angelica nostra ex originali auctoris Anno 1780, Fr. Richardus Tecker, Assistens Germaniae.

6. Non solum transcripsit BAR, cod. ms. 353 (C. 8.21), sed etiam plures correctiones atque additiones fecit ita ut hic codex hodie vel utilior sit quam opera originalia. Codex est chartaceus, saeculi XVIII exeuntis. Haec continet : 1. *Fratris Xysti Schier, Notae et additiones ad Bibliothecam Augustinianam a P. Ossinger editam, quas sequitur hexasticon P. Antonii des Lions*, ff. 1-29 ; Inc. « Ex Provincia Bavariae. Nil novi prodiit ». In principio adnotatur : « Hae additiones & in copia communicatae fuerunt Ill.mo et Rev.mo Dno Archi-Epo. Sassarensi Hyacinto Della Torre initio anni 1793 ». 2. *Lettera sulla terza Translazione delle Ossa del S. P. Agostino, eseguita li 5 ottobre 1786, d. Mediol., 7 oct. 1786*, ff. 39-40. 3. *Scriptores Provinciae Austriae et Hungariae, seu omnes illi qui aliquid, quidquid id fuerit, sive proprium sive alienum ediderunt, aut manuscripta reliquerunt, memoriae posterorum commendati a Fr. Xysto Schier*, 1770, ff. 41-163 (= OeNB 7238, XVI.1, 1r-78r). In hac parte sunt pretiosae additiones a P. Richardo factae, hic enim saepe loquitur de rebus mortem Xysti Schier sequentibus. 4. *Historia succincta Cathedrae Theologiae moralis ejusque Professorum ab anno 1622 usque ad annum 1769, scripta a Fr. Xysto Schier, Eremita Augustiniana*, ff. 167-189. 5. *Adnotationes in Dominici Antonii Gandolfi Dissertationem de Ducentis Augustinianis Scriptores. Auctore P. Xysto Schier, Augustiniano, Provinciae Austriae*, ff. 191-290 (= OeNB 7238. XVI. 101r-164r). 6. *Addenda ad Ossingeri Bibliothecam Augustinianam*, ff. 293-298. 7. *Index Personarum*, ff. 299-309 ⁶⁵).

C. Opera ab eo directa vel inspirata.

1. *Breves notitiae ad bonam directionem animarum ac salutarem instructionem studiosorum disciplinae moralis : Assertiones theologiae, quas auctoritate et consensu perillustis ac magnifici domini universitatis rectoris, reverendissimi, nobilis ac clarissimi dom. decani, caeterorumque DD. Doctorum ejusdem incl. facult. theol. in alma ac celeberrima universitate graecensi pro prima theo-*

⁶⁵) Hic utilis index videtur ab ipso Tecker factus esse.

logiae laurea consequenda anno salutis 1768. Mense martio die — publice propugnandas suscepit rev. nobil. excell. ac doctiss. D. Vitus Modestus Bosilyevacz, Croata Mresnicensis, ss. theol. in 4tum ann. audit. et pro prima ejusdem laurea candidatus, presbyter. Sub praesidio A. R. ac cl. P. Vincentii Dihanics (!), ord. praedicat. ss. theol. doctor, ejusdemque profess. publici et ordinarii, et A. R. ac cl. P. Richardi Tecker, ord. Eremit. S. Augustini ss. theol. doctor. ejusdemque profess. publici et ordinarii. Graecii, typis haeredum Widmanstadii ⁶⁶⁾).

2. Assertiones theologiae dogmaticae... quas... 1777 propugnandas suscepit F. X. Köschner sub praesidio Richardi Tecker et Petri Koffler ⁶⁷⁾).

III. MARTINUS ROSNÁK

Tertius augustinianus qui inter graecenses professores vel decanos theologiae numerandi sunt fuit Martinus Rosnák, cuius cognomen hoc modo damus, quia sic invenitur in pagina titulari librorum eius, potius quam in forma magis germanica Rosnack quae aliquando invenitur. De facto, hungarus fuit Martinus noster, non germanus. Natus est enim in regione quae suis quidem temporibus Hungariae pars erat, post autem prius bellum mondiale in regionem austriacum, quae Burgenland appellatur, transiit. Locus nativitatis fuit anno 1730 oppidum Dörffl, haud procul Leuca seu Lockenhaus, ubi tamquam prior mortuus est. Quia natus est in festo S. Martini Turonensis, d. 11 nov., nomen huius sancti non tantum in baptismo recepit, sed etiam, contra tunc vigentem consuetudinem austriacorum nostrorum, in ordine retinuit ¹⁾. In congregatione intermedia provinciae austriacae, Baadae mense sept. 1753

⁶⁶⁾ Strictae loquentes, non possumus dicere hunc librum, inspirantibus PP. Tecker et Dichanitz *compositum*, sed potius *publicatum* esse, iubente principe episcopo seccoviensi. Auctor libri, italice prius scripti, fuit italicus ignotus huius XVIII saeculi. Latine versus est a Francisco de P. Tomicich; cf. A. POSCH, *Die kirchliche Aufklärung in Graz und an der Grazer Hochschule* (Graz 1937) 125. Idem clarissimus professor emeritus Posch mihi hoc in epistula quoque Graecii d. 11 apr. 1967 scripta communicavit, pro qua hic libenter gratias ago.

⁶⁷⁾ In scheda catalogi Joannei, seu Steiermärkische Landesbibliothek in Graz, manu posteriore additum est: *Im J. 1945 dem Orden [O.P. ?] zurückgegeben.*

¹⁾ OeNB 7372.24v.

habita, Martinus, iam philosophus, obtulit supplicem libellum ut in ordinem admitteretur, non autem statim acceptus est. Ex 22 enim candidatis ad statum clericalem, provincia austriaca hoc anno sex tantum statim accepit, atque 5 tantum ex 12 candidatis ad statum laicalem ²⁾. Hoc saepe fiebat his annis in provincia nostra austriaca, quae tamen post medium saeculum, praecipue per Josephinismum, extirpata est. Ex rationibus autem quae nos latent, Martinus, quamquam in congregatione intermedia non acceptus erat, breviter postea in ordinem admissus, conventum Bruggae d. 30 nov. 1753 ingressus est. *Propter socium tyronem, ait Schier, ut simul profiteri possent, ad 5 jan. 1755 expectare debuit, qua se tandem sacris votis obstrinxit* ³⁾.

Prima studia tamquam augustinianus in conventu graecensi fecit. In hoc conventu S. Pauli enim tamquam theologus apparet in dispositione familiarum, quae in capitulo provinciali Viennae d. 12 apr. 1755 promulgata est ⁴⁾. Breviter autem postea Viennam missus est. Non enim Graecii sed Viennae in basilica S. Stephani in uno die, scil. 20 sept. eiusdem anni non tantum tonsuram et ordines minores, sed etiam subdiaconatum suscepit ⁵⁾. Anno sequenti in eadem basilica, d. 13 martii ad diaconatum ordinatus est ⁶⁾. Quia multae ordinationes huius anni in *Protocollo* Ordinationum viennens non continentur, nescimus diem exactum eius ordinationis sacerdotalis. Verosimiliter autem fuit mense aug. 1756; hoc enim anno primitias celebravit die festo S. Augustini, seu 28 aug. ⁷⁾. Studia sua post ordinationem sacerdotalem Viennae continuavit. Hic enim invenitur ut studiosus theologiae et canonum d. 18 apr. 1758 ⁸⁾. Duobus diebus antea, in capitulo provinciali Baadae celebrato, sub directione P. Bernardi Schlechteitner sustinuerat P. Martinus theses ex universo vetere et novo testamento ⁹⁾. Correpetitor in conventu viennensi factus est a congregatione intermedia Baadae diebus 4-6 sept. 1759 habita ¹⁰⁾. Munere igitur corre-

²⁾ Ff 52.10v.

³⁾ OeNB 7372.24v.

⁴⁾ Ff 52.99r.

⁵⁾ VProt. Ord. 92rv.

⁶⁾ *Ibid.* 99(a)v.

⁷⁾ OeNB 7372.24v.

⁸⁾ Ff 52.263v.

⁹⁾ *Ibid.* 262r.

¹⁰⁾ Ff 52.365v; OeNB 7372.24v.

petitoris in conventu nostro fungens, se praeparabat ad lauream theologicam in universitate viennensi, ubi d. 20 martii 1760 examen ex sacris canonibus superavit, d. autem 22 iulii eiusdem anni examen ex Sacra Scriptura ¹¹⁾. Non autem fuit P. Martini sors lauream in universitate viennensi suscipere. Die enim 15 apr. 1761 in capitulo provinciali Graecii habito, translatus est Graecium tamquam lector philosophiae et linguarum sacrarum in conventu S. Pauli ¹²⁾, ubi per plures annos, cum brevi interruptione operaturus erat, tam in conventu augustiniانو quam in universitate, cuius decanus facultatis theologiae, ac deinde Rector Magnificus factus est. Loquentes supra de P. Richardo Tecker, vidimus quomodo tres lectores augustiniani graecenses — Ottinger, Tecker, Rosnák — decreto excelsae repraesentationis ex die 6 aug. 1762 iussi sint se coram direttore facultatis legitimare de habitis in nostris ecclesiis disputationibus theologicis, de praestitis quoque omnibus reliquis tentaminibus, ut sic tentamen rigorosum, seu puncturam ex D. Thoma subirent, et ad gradum admitti possent. Die igitur 25 eiusdem mensis tres privatim in baccalaureos creati sunt, postquam omnia requisita compleverunt, et diebus 27-28 aug. examen rigorosum subierunt. Die 31 eiusdem mensis, decanus J. B. Cortivo illos cum 13 aliis publice doctores creavit in auditorio universitatis, iuxta decretum aulicum, cum sessione et voto ¹³⁾.

Numquam autem fecit P. Martinus actum repetitionis in facultate viennensi, sicut fecerunt mense sept. 1765 PP. Ottinger et Tecker ¹⁴⁾, post quod acceperunt sessionem in hac facultate quoque. Anno quidem 1764, mense maio, P. Martinus Viennam translatus est ut lector philosophiae in conventu augustiniانو ¹⁵⁾. Hic autem mansit per solummodo c. 16 menses. Anno enim sequenti mense septembri, loca commutans cum Antonino Ottinger, iterum Graecium rediit tamquam lector Sacrae Scripturae et theologiae ¹⁶⁾. In capitulo provinciali mense maio 1767, rursum nominatus est ad eadem officia, quibus accessit eodem tempore officium decisoris casuum in conventu, atque anno 1770 officium historici ¹⁷⁾. Post-

¹¹⁾ VUA, *Protocollum sacrae facultatis, Actus et Tentamina 1759-1814*, 1 et 2.

¹²⁾ Ff 52.420v.

¹³⁾ OeNB 10064.39r.

¹⁴⁾ *Ibid.* 40r.

¹⁵⁾ Ff 50.89r.

¹⁶⁾ *Ibid.* 141v.

¹⁷⁾ *Ibid.* 282r et 393v.

quam P. Tecker mense aprili anni 1765 publicus professor in universitate graecensi factus est, Patre Cortivo Viennam translato, incepit P. Martinus die 7 ian. 1766 saepe participare in disputationibus universitatis, ubi nomen eius saepe recurrit, usque ad annum 1770, cum decanus facultatis theologiae factus est ¹⁸⁾). Chronicon facultatis theologiae, loquens de congregationibus facultatis annis 1765-1770 habitis, indicat P. Martinum regulariter adfuisse, utpote qui votum et sessionem inde ab anno 1762 haberet, etsi non actu docebat. Iam anno 1768 fuit candidatus ad decanatum. Die enim 15 iulii fuit congregatio facultatis ad eligendos tres praesentandos ad hoc munus, ex quibus unus postea a gubernio designari debebat. Primo loco cum 11 suffragiis fuit J. B. Frischenschlager; secundo loco, cum 4, fuit P. Martinus; tertio loco, cum 2 suffragiis, fuit J. N. Müllner. Primus a gubernio designatus est ¹⁹⁾).

Anno autem sequenti, die 10 iulii 1769, in congregatione ad electionem candidatorum praesentandorum pro anno sequenti ad decanatum, primo loco fuit J. Mayrhofer, S.J. cum 11 suffragiis; secundo, cum 8 suffragiis, fuit P. Martinus; tertio, cum 2 suffragiis, fuit J. N. Müllner. Ut vidimus supra tamen, de Cortivo loquentes, primus candidatus non fuit necessario designandus, et hoc clare apparet in casu praesenti. Quamvis P. Martinus secundo tantum loco praesentatus esset, gubernium tamen, Jesuitis minus favens, P. Martinum designavit, qui denique, d. 24 nov. propositus, d. 16 dec. nominatus est ²⁰⁾). Relatio enim, P. Martino prae duobus aliis favens, iam d. 16 aug. facta erat, ita ut diebus 11 et 24 nov. statutum sit, illum ad decanatum nominare, id quod P. Martino in epistula officiali d. 16 dec. eiusdem anni 1769, Graecii communicatum est ²¹⁾). Res iam diu protracta erat, propter partes oppositas, quae habebant suum candidatum, sed die 13 ian. 1770, recepit P. Martinus decretum a commissione studiorum graecensi, quo Director Franciscus de P. Tomicich denominatus est commissarius, qui eius decanatum promulgaret. Die igitur 20 ian. 1770, in magno auditorio universitatis, praesentibus et doctoribus et alumnis, promulgatus est Rosnák ut decanus, id quod generatim in schola

¹⁸⁾ OeNB 10064.41r-42v.

¹⁹⁾ Chronicon 44.

²⁰⁾ GOA, *Theologische Studien 1715-1804* XII/1-A-5.

²¹⁾ Epistula citatur verbatim in OeNB 10064.42v.

tantum fiebat, non in auditorio ²²⁾. Functus est hoc munere usque ad d. 12 apr. 1771 ²³⁾.

Triste est videre quomodo relationes inter Jesuitas et alios ordines hoc tempore Graecii et alibi malae essent. Non fuit facile Jesuitis, qui usque ad tempus P. Joannis Baptistae Cortivo aliis exclusis decani facultatis theologiae fuerant, videre quomodo alii ordines inde ab hoc anno iam non tantum professores sed etiam decanos habere possent. Antea enim sese opposuerant, ad admissionem sacerdotum ex aliis ordinibus, in collegium professorum graecensium, etiamsi plures eorum, sine voto et sessione, doctores facti erant in hac universitate. Recordamur exemplum mensis jan. 1755, cum duo augustiniani conati essent in collegium ingredi, non autem potuissent propter resistantiam directoris studii, F. X. Pejavesich, S.J. ²⁴⁾. Etiam in universitate viennensi sese opposuerant Jesuitae anno 1747 ad admissionem trium Minoritarum Conventualium Claudii Deltl, Marini Wilffing, Constantini Horac ad facultatem, id quod tamen hic factum est a decano augustiniano Antonio Capler ²⁵⁾. Recordamur etiam quomodo anno 1767 Patres Vincentius Dichanitz, O.P. et Richardus Tecker, O.S.A. explicationem exigissent a P. Joanne B. Peck, S.J. qui in oratione initio anni scholastici habita auditores de haereticis absconditis monuerat ²⁶⁾. Nunc autem, anno 1770, d. 4 martii, P. Martinus Rosnák decanus epistulam a consilio gubernii Austriae Interioris recepit, qua graviter admonebatur, ne iterum professores a facultate inconsulta imperatrice amoveret, sicut primis mensibus sui decanatus pluribus Jesuitis fecerat. Augusta eum monebat, se tales professores revocaturam esse, si hoc iterum ea inconsulta fieret ²⁷⁾. Hoc sat facile poterat Graecii fieri, quia non tantum episcopus princeps Josephus von Spaur, sed etiam F. de Paula Tomicich, director studii, Jesuitis infensi erant. Anno tamen decanatus P. Martini, hic creavit tres Jesuitas doctores, et quidem Joannem B. Peck, d. 8 apr. ; Casparum Horvath, d. 27 iunii ; Xaverium Spindler, d. 25 nov. ²⁸⁾.

²²⁾ OeNB 10064.43r; *Chronicon* 79.

²³⁾ *Album*, ad annum.

²⁴⁾ GLA, R. K. *Sach.*, *Studienabteilung* 1752-1753.

²⁵⁾ OeNB 7236.I, 90v.

²⁶⁾ OeNB 10064.41v-42r.

²⁷⁾ GOA, *Theologische Studien* 1715-1804 XII/1-A-5.

²⁸⁾ OeNB 10064.43r.

Idem decanus Rosnák creavit doctorem d. 24 aug. eiusdem anni fluminensem R. D. Antonium Duimich, qui inde ab initio studiorum theologicorum scholae augustino-thomisticae discipulus fuerat, ita ut hic primus ex hac schola laurea doctorali insignitus sit ²⁹⁾.

Sicut alii quoque decani horum temporum, P. Rosnák quoque a gubernio plura decreta de studiis accipere coactus est, quae haec studia iuxta modos gubernio placentes dirigere debebant. Sic, d. 5 ian. 1770, ad eum missum est decretum excelsae studiorum commissionis :

cum thesibus juris canonici, quae vi decreti ab unoquoque ad doctoratum theologicum aspirante propugnari debent ; cum antea quilibet ad arbitrium suum ex singulis decretalium libris quinque theses sibi selegisset. In his thesibus statuitur concilium esse supra pontificem, principem saecularem posse convocare concilia provincialia, etc. ³⁰⁾.

Talia decreta, regente Maria Theresia sub influxu nefasto consiliariorum facta, iustificant conclusionem P. Ferdinandi Maass, iuxta quem haec imperatrix quoque, non solum filius Joseph II, modo a matre volito educatus, respondere debet de magnis damnis vitae catholicae et monasticae a « Josephinismo » inflictis ³¹⁾.

Eodem mense d. 13, submissum est P. Martino decretum ab eadem commissione studiorum, quo certior factus est imperatricem libenter videre theologiae auditores frequentantes scholam saecularis professoris rei politicae et cameralis, aut saltem privatim libros legentes de hac scientia tractantes ³²⁾.

A decanatu mense aprili anno 1771 absolutus, P. Martinus mansit tamquam lector theologiae et historicus in monasterio graecensi ad S. Paulum, ius habens sessionis in collegio doctorum universitatis, ubi his annis apparet in congregationibus facultatis, e.g. diebus 27 iulii et 31 aug. 1772 ³³⁾. Anno autem sequenti seu 1773,

²⁹⁾ Ibid.

³⁰⁾ Ibid. 42v.

³¹⁾ Cf. dissertationem Patris Maass « Maria Theresia und der Josephinismus », *Zeitschrift für katholische Theologie* 79 (1957) 201-213, quocum concordant verba a L. J. Rogier scripta: *Maria Theresia ist nicht nur die Mutter Josephs II, sondern auch die des Josephinismus, Geschichte der Kirche*, Band IV (Einsiedeln 1966) 111.

³²⁾ OeNB 10064.43v.

³³⁾ *Chronicon* 121 et 126.

electus in tertium definitorem provinciae austriacae et lectorem primum theologiae, Viennam translatus est, ubi nominatus est Regens Studiorum d. 2 iunii eiusdem anni, quo munere per triennium functus est, donec successor eius Engelbertus Berthold d. 7 aug. 1776 deputatus est ³⁴⁾. Die 1 ian. 1776, apparet adhuc ut Regens et Depositarius conventus viennensis ³⁵⁾. Plures honores illi in ordine collati sunt. Anno 1776, ni fallimur, Graecium, iam prior conventus, rediit, ubi certe apparet tamquam prior diebus 4 febr. 1777 et 9 dec. 1778 ³⁶⁾. Iam anno 1770, d. 16 iunii, cum decanus facultatis theologiae graecensis erat, praesentaturae honorem in ordine adeptus, factus est etiam d. 20 nov. 1778 magister de numero senario ob mortem P. Augustini Naller ³⁷⁾. Tertio loco, post PP. Ernestum Schober et Richardum Tecker, propositus est d. 6 febr. 1776 tamquam praeses capituli provincialis quod illo anno habendum erat ³⁸⁾. Maximus forsitan inter honores collatos illi accessit, cum d. 21 nov. 1778 approbatus a gubernio, Rector Magnificus universitatis graecensis pro anno scholastico 1778-1779 factus est, primus tempore inter tres augustinianos quibus hic honor datus est. Iam die 27 aug. eiusdem anni electus erat primo loco inter tres candidatos cum 15 suffragiis ³⁹⁾. Rectoratus eius etiam pro anno 1779-1780 prolongatus est ⁴⁰⁾.

Honoribus autem additae sunt difficultates. Non tantum multa passus est a « lurido » quodam confratre, cuius nomen caritative non memorat ⁴¹⁾, sed in ipso capite suo manum violentam Josephinismi ut prior sustinuit. Die enim 22 martii 1782 suspensus est a prioratu graecensi, quia de quodam edicto gubernii suos subditos non recte certiores fecisset ⁴²⁾. Sic, debuit quidem, iuxta decretum

³⁴⁾ Dd 216.42rv; Dd 219.48v.

³⁵⁾ VANOe, *Klosterrat*, K 223, *Klöster und Stifte, Männer, PP. Augustiner in NOe*.

³⁶⁾ GOA, *Klosterakten* II-F-4, I et IV.

³⁷⁾ Dd 213.44v; Dd 221.59r.

³⁸⁾ Dd 318.93r.

³⁹⁾ GLA, *Universität, theologische Fakultät*, Fasz. I, Heft 16.19; *Chronicon* 194; Krones 103 et 581, qui hic tamen solum assignat annum 1779-1780.

⁴⁰⁾ Hoc apparet in *Matricula almae et catholicae Academiae*, Tom. II 26v et 30r, quae in GUA conservatur; cf. Krones 581.

⁴¹⁾ GOA, *Klosterakten* II-F-4, IV *Grazer Kloster*. Hanc epistolam hic edimus, ut videre est in paginis 379-380.

⁴²⁾ GOA, *Klosterakten* II-F-4, II *Sonstiges*.

gubernii suspensivum, usque ad mensem iunii prioratu suspensus manere, tempus autem videtur illi fuisse. Capitulum enim provinciale huius anni, mense aprili Viennae celebratum, elegit P. Franciscum Capler in priorem provincialem et P. Bonaventuram Wunder in priorem graecensem ⁴³⁾. Videtur missus esse P. Martinus eodem anno 1782 tamquam bibliothecarius in conventum Leucae seu Lockenhaus, qui post paucos annos ultimus fuit conventuum augustinianorum in Hungaria illius temporis ⁴⁴⁾. Hic conventus erat in quo Rosnák usque ad finem vitae laboriosae mansit, semper industrius atque saepe superans innumeras difficultates. In hac communitate invenit P. Martinus ferme decem sacerdotes capaces laborandi, qui numerus ordinarius per circiter 60 annos iam erat ⁴⁵⁾. Tamen aetas media horum patrum fuit fere eadem ac Patris Martini, qui nunc plus 50 annos habebat. Quia catastrophe Josephinismi restringebat numerum religiosorum in multis eorum quos non suppresserat conventuum, atque susceptionem et educationem candidatorum difficillimam faciebat, aetas decem patrum qui anno 1795 in eodem monasterio Leukensi degebant erat iam propecta, plus 60 pro unoquoque ⁴⁶⁾. Hoc anno fuerunt pauci patres capaces laborandi, ut apparet in tristi epistula P. Martini ad episcopum Szily, ubi loquitur de moribus perversis plurimorum Leukensium, qui faciebant ministerium pastorale vel difficiliter pro clero ⁴⁷⁾. Finis huius quoque monasterii appropinquabat, quamvis P. Martinus verbo et exemplo laboraret, ne ultimus conventus hungarus augustinianorum extingueretur. Infra videbimus quomodo duobus tantum ante mortem annis, scil. 1799, firmiter speraret fore ut monasteria iterum florerent postquam invasiones napoleonicae repulsae essent. Non poterat praevidere per quot annos plaga napoleonica in Austria adhuc duratura esset !

Tamen, non omnia male in monasterio ibant. Bonus ordo quem in bibliotheca monastica custodiebat P. Martinus, non solum ex

⁴³⁾ Cf. Dd 225.79rv, d. 30 aug. 1782. Anno sequenti, in tabella sodalium conventus graecensis apparet P. Franciscus hic ut prior provincialis residens, et P. Bonaventura Wunder ut prior. P. Rosnák non apparet; GOA, *Klosterakten* II-F-4, V.

⁴⁴⁾ VDA, Fasz. *Augustiner Ordensprovinz: Verzeichnis des ganzen in dem Orden der beschuhten PP. Augustiner befindlichen Personals* [ex anno 1783].

⁴⁵⁾ A. SCHERMANN, *Geschichte von Lockenhaus* (Pannonhalma 1936) 107.

⁴⁶⁾ *Ibid.* 117.

⁴⁷⁾ Citatur A. SCHERMANN, *op. cit.* 187-188.

hoc probatur quod doctus investigator Georgius Belnay anno 1800 tres dies magno cum fructu hic laboravit, sed etiam per indicationes scriptas ipsius P. Martini ⁴⁸⁾. Post suppressionem autem huius monasterii bona pars librorum perierunt ⁴⁹⁾. Neque tantum in ipso Leucae oppido curam animarum exercebant patres Leukenses, sed etiam, non obstante aetate eorum provecta, in pluribus locis adiectis, praesertim in oppidis Rattersdorf et Pilgersdorf ⁵⁰⁾. Laborabant augustiniani Leukenses simul in quinque parochiis ut administratores, his autem annis per Josephinismum incipiebant incapaces esse ad hoc continuandum. Anno 1783 e.g. fuerunt hi augustiniani Leukenses curati : in Rattersdorf (P. Daniel Schonauer) ; Pilgersdorf (P. Camillus Ehrenbacher) ; Piringsdorf (P. Josephus Legerer) ; Kohlstetten (P. Caesarius Felderer) ; et in ipsa parochia Leukensi (P. Anselmus Pirg) ⁵¹⁾. Schola interna pro alumnis nostris in philosophia instruendis videtur cessasse anno 1782 vel 1783, postquam gubernium imperavit ut religiosi clerici in illas urbes mitterentur, ubi universitates vel lycaea essent ⁵²⁾. Hac occasione, misit prior provincialis Franciscus Capler clericos minorum conventuum, e.g. Pruggae, Fürstenfeldii, Leucae ad conventum nostrum graecensem, qui tamen ipse d. 13 aprilis 1784 suppressus est a Josepho II. Dies difficiles pro ordinibus religiosis in Austria fuerunt !

Ipsi P. Martino magnopere cordi erat, ut hoc monasterium Leukense, ultimum inter monasteria hungara provinciae austro-hungaricae, ordini conservaretur. Conventus enim Budensis et Residentia Quinqueecclesiensis (= Fünfkirchen) in territoriis hungaris

⁴⁸⁾ Cf. SCHERMANN, *op. cit.* 113.

⁴⁹⁾ SCHERMANN, *ibid.*, qui ait: ... *sicher ist, dass es eine reichhaltige Sammlung wertvoller Werke war. Dies kann man schon daraus schliessen, dass... die betrauten Kommissäre nach der Auflösung des Hauses mehrere Wochen zu tun hatten, bis sie die Bücher verlicitierten. Die meisten und wertvollsten Werke gingen dadurch verloren, denn Käsehändler und Krämer erwarben sie als Packpapier. Noch in den sechziger Jahren des vorigen Jahrhunderts hat Dr. Becker, kaiserl. Bibliothekar, von einem Lockenhauser Schuster die Geographie des Ptolomäus mit vielen Stahlstichen erworben. Auch gestohlen wurden viele Bücher. Mehrere Werke kamen in die Hände des aus Lockenhaus stammenden Georg Wendl, Pfarrers in Mariasdorf, die dort auf dem Dachboden des Pfarrhofs jetzt Mäusenester sind.*

⁵⁰⁾ SCHERMANN, *op. cit.* 110-111.

⁵¹⁾ VDA, Fasz. Augustiner Ordensprovinz: Verzeichniss des ganzen in dem Orden der beschuhten PP. Augustiner befindlichen Personals.

⁵²⁾ GOA, Klosterakten II-F-4, II, Sonstiges 1655-1802.

iam suppressa erant edictis Iosephi II. Idem factum erat pluribus conventibus austriacis fere iisdem temporibus⁵³). Hic publicamus epistolam a P. Martino Leucae d. 19 iulii 1799 ad episcopum principem seccoviensem Iosephum Adamum Graf von Arco (1780-1802) scriptam. In ea enim videmus multas res antea in parte notatas in vita et indole eius: desiderium ardens conservandi monasterii Leukensis, quod dissolutioni iam proximum esse videbatur (et de facto anno 1820 suppressum est); fortem animum eius ad superanda obstacula; quendam sensum nationalem hungarum, quo incensus erat, atque subsequentem indignationem contra priorem provincialem austriacum, P. Franciscum Capler, qui unico monasterio hungaro, quod ordini adhuc permanebat, novis viribus non succurrebat — (undenam autem poterat P. Franciscus has novas vires invenire?) — animum invictum, quo credebatur P. Martinus fore ut brevi tempore monasteria iterum florerent, non obstantibus plagis Iosephinismi et bellorum gallicorum; gratiam qua gavisus erat apud plures magnos, praesertim temporibus decanatus et rectoratus universitatis graecensis. Quia tota epistula nobis fons pretiosus est pro historia augustinianorum his temporibus in provincia austro-hungarica, illam hic totam reproducimus:

Celsissime Princeps! Qui forte iam dudum mortuus credebatur, ecce adhuc vivo, ac Celsitudini Vestrae Supplex venio. Non praesumerem autem id facere, nisi pia memoria recolerem benignissimum illum ac gratiosissimum Celsitudinis Vestrae in me animum, dum adhuc Priorem agerem Graecii, inter multas afflictiones, quas mihi causabat luridus ille frater⁵⁴), qui tamen, ut audiui, mensura iniquitatis tandem impleta, iam tulit poenam sibi debitam.

Versatur autem mea humillima supplicatio in eo, ut Celsitudo Vestra dignaretur Ordinis nostri Sacerdotem, Patrem Ignatium Attenberger, qui in Sechau, prope Fürstenfeldium, Vicarium agit, gratiose ab illa statione absolvere, et ad conventum nostrum Leukensem, cui is ab incunabulis suae religiosae vitae adscriptus erat, dimittere. Scio quidem Sacrorum Curionum

⁵³) F. RENNHOFFER, « Augustinerklöster in Oesterreich », *Augustiniana* 6 (1956) 490-546, dat elenchum, ordine alphabetico, monasteriorum in Austria atque annum quando suppressa sunt. De quattuor ex his monasteriis eorumque suppressione agit G. WINNER, *Die Klostersaufhebungen in Niederösterreich und Wien* (Wien 1967).

⁵⁴) Forsitan hic *luridus* confrater fuit fr. Cajetanus Goz, pro quo prior generalis d. 2 sept. 1780 instituit processum de incorrigibilitate. P. Martinus fuit unus ex sex iudicibus; cf. Dd 223.66v-67r.

magnam esse penuriam. Sed haec ipsa miseria premit etiam nostrum conventum, habentem sibi quinque parochias adnexas. Et siquidem praedictus P. Ignatius, meus olim in disciplinis Theologicis dilectissimus discipulus, in Religione nostra educatus, litteris imbutus, et ad curam animarum adaptatus erat, existimo ipsum, attento ordine caritatis et justitiae, praeprimis Matri Suae Religioni debere praestare servitia spiritualia. Sed nolim cum Celsitudine Vestra iudicio contendere; solum Gratiā Ejusdem et misericordiam pro nostro imploro conventu, qui meros decrepitos numerat, et vel ideo proximus est ad interitum una cum parochiis nostris. Certo non tantum detrimenti aut damni sentiet Celsitudo Vestra in unius personae amissione, quantum nos in conventus nostri perditione. Dignetur ergo, obsecro, Celsitudo Vestra misereri afflictæ partis nostræ, et hunc bonum Sacerdotem nobis remittere, ut saltem arrepta hac tabula, quemadmodum solent naufragi, adhuc tantisper supernatemus, donec procul fugatis Gallis serenior dies illucescat Religiosis Ordinibus.

Cur vero non potius P. Provincialis [Franciscus Capler] pro dimittendo P. Ignatio supplicet, ut ingenuus sim, ratio est quod is minus sollicitus sit de nobis Hungaris, modo suos conventus austriacos servet. Me vero, utpote Hungarum, pro unico, quem adhuc retinemus (nam alios Josephus exterminavit) in Hungaria hoc conventu salvando, utique oportet praeprimis esse sollicitum atque zelosum.

Celsitudinem Vestram ante biennium aut triennium apud Nostrum Primatem Cardinalem per triduum in Rechnitz, nimirum in mea vicinia, hospitem fuisse, paulo tardius rescivi cum ingenti dolore meo; nam si id tempestive comperissem, illico ad venerandam Celsitudinem Vestram accurrissem. Suam Emimentiam Primatalem jam etiam alias ibidem veneraturus eram.

Itaque spe bona fretus non solum de responso simpliciter tali (retineo adhuc inter alias Clarorum Virorum litteras ad me datas Celsitudinis Vestrae manum pretiosissimam, qua me indignum olim Priorem Graecensem, in causa P. Prioris Fürstfeldensis, a quodam officiali milite male tractati dignabatur), sed etiam de responso gratioso et favorabili, ipsoque non in longius tempus differendo (nam in re vera periculum urget), persevero esse, qui dudum eram, utinam autem et iisdem quibus olim pollebam, fruens gratiis, Celsitudinis Vestrae Humillimus Capellanus, Servorumque ultimus P. Martinus Rosnák, Ord. Erem. S. P. Augustini. Dabam Leukæ, supra Ginsium, d. 19 Julii 1799⁵⁵).

⁵⁵ Epistula manu P. Martini scripta conservatur in GOA, Klosterakten II-F-4, IV, Grazer Kloster.

Ut exemplum delusionum quas saepe passus est P. Martinus in suis conatibus monasterii Leukensis conservandi, debemus hic addere episcopum seccoviensem noluisse P. Ignatium Attenberger dimittere, propter magnam penuriam sacerdotum. Ipsa verba episcopi, in tergo epistulae P. Martini scripta sunt :

Attento ordine caritatis et justitiae, in hac operariorum penuria, praepimis pro bono et pro conservatione meae Dioecesis sollicitus esse debeo. Et hac de causa, pro hic et nunc, Patrem Ignatium Attenberger dimittere non possum. Etiam alii Domini Ordinarii sacerdotes expositos meae dioecesis non dimittunt. Josephus Episcopus ⁵⁶⁾.

Recordamur P. Martinum senem fere septuaginta annorum fuisse, cum hanc scripsit epistolam. Ipse factus est prior conventus Leukensis hoc ipso anno 1799, ut videtur ⁵⁷⁾. Anno igitur sequenti, seu 1800, iterum conatus est monasterium suum salvare. Per ipsum Vicarium Generalem augustinianorum, P. Septimium Rotelli, petiit sex vel septem patres ex provinciis Rheno-Suevica et Austriaca, ut videmus in epistula quam Vicarius Generalis Rotelli Romae d. 9 maii 1800 ad priorem provincialem provinciae Rheno-Suevicae scripsit ⁵⁸⁾. Non enim licuit P. Vicario directe ad provincialem austriacum, Franciscum Capler, directe scribere, ex quo Josephus II d. 24 martii 1781 ordinibus religiosis in suis territoriis degentibus sustulit communicationem activam vel passivam cum superioribus exteris ⁵⁹⁾. Eventus autem bellici horum temporum non tantum hanc provinciae austriacae spem, sed etiam ipsam provinciam rheno-suevicam destruxerunt.

Sic, usque ad finem vitae P. Martinus contra spem speravit. Laboraverat in iuventute, et in aetate magis provecta in scholis ordinis, Viennae et Graecii. Turbationes autem Josephinismi eum non siverunt in urbe Graecio manere, ubi studens, lector Sacrarum Scripturarum, philosophiae, theologiae fuerat, antequam in universitate graecensi doctor, decanus facultatis theologiae, atque Rector Magnificus factus est. Viderat dies felices, quos secuti sunt dies tristes. Suspensus prioratu graecensi per gubernium josephinisticum, debuit suppressionem monasterii graecensis d. 13 aprilis 1784 expe-

⁵⁶⁾ Ibid.

⁵⁷⁾ SCHERMANN, op. cit. 110.

⁵⁸⁾ Dd 240bis, 215r.

⁵⁹⁾ F. NOTHEGGER, « Die Augustinereremiten in Tirol », Cor Unum 18 (1960) 53.

riri, ex quo iam d. 7 aprilis gubernium iusserat nostros sodales expelli atque in alia ordinis augustiniani monasteria distribui ⁶⁰). Senectute appropinquante, missus est Leucam, ubi saepe videtur antea ferias autumnales transegisse ⁶¹). Leucae igitur per viginta circiter annos laboravit in cura animarum, et in bibliotheca conventus, publicans adhuc duo opera, quorum unum suum, alterum sui amici et confratris Xysti Schier erat. Omnia quae poterat fecit, ne extingueretur ultimum monasterium hungarum sui ordinis, credens dies meliores pro monasteriis adventuros esse. Mors eum hic invenit d. 30 iunii 1801 ⁶²).

Consideremus nunc opera quae plene vel partim composuit, atque illa quae pro defuncto confratre Xysto Schier edidit. Titulos completos dabimus in fine huius partis. Tamquam Regens Studiorum conventus viennensis, annis 1773-1776, scripsit de vita duorum confratrum defunctorum, quorum nomina iam scimus, P. Joannis Fritsch et P. Xysti Schier. Viennae quoque recensuit plura opera manuscripta Xysti Schier (anno 1772 emortui), quae dein Viennae vel Graecii edidit, multis rebus suo Marte adiectis, ita ut P. Martinus auctor partialis saltem pro septem ex novem operibus posthumis Xysti Schier inter annos 1773 et 1781 publicatis appellandus sit ⁶³). Anno denique 1798, Leucae degens, P. Martinus fecit secundam editionem operis Xysti Schier, quod iam anno 1766, adhuc vivente P. Xysto, primum apparuerat, addens et aliud opus P. Xysti adhuc ineditum, suadente P. Magistro Ernesto Schober, qui Viennae d. 13 apr. 1798 Leucam ad P. Martinum scripsit, petens ut ederet *Miscellanea* P. Xysti ⁶⁴). Anno sequenti, d. 9 ian. 1799, iterum scripsit Leucam P. Ernestus, ut certiore faceret P. Martinum impressionem manuscripti finitam esse ⁶⁵).

⁶⁰) GOA, *Klosterakten* II-F-4, II *Sonstiges* 1655-1802.

⁶¹) Cf. OeNB 5781, 4v, ubi Xystus Schier Viennae manu propria epistolam Leucam ad P. Martinum scribit, d. 7 oct. 1763, petens ut sibi Viennam *gesta* P. Joannis Fritsch *beatissimae memoriae... qualicumque calamo, lingua seu stylo* mitteret. Videbimus in elencho operum, infra A. n° 1, P. Martinum ipsum hoc opus pietatis pro confratre beato fecisse. Etiam hodie in domo parochiali leukensi existit imago picta contemporanea P. Joannis Fritsch, d. 2 martii 1753 in odore sanctitatis defuncti; cf. SCHIER-ROSNACK, *Memoria* (ut infra B n° 6) 90-91.

⁶²) Lockenhauser Pfarre, *Sterbe-Buch*, Tom. I 1767-1820, 147.

⁶³) Praeter opus infra, C n° 2, nominatum, ad quod praefationem addidit.

⁶⁴) OeNB 10214p, 63rv.

⁶⁵) OeNB 10214q, 53r.

OPERA

A. Opera ab ipso solo composita :

1. *Vita P. Johannis Fritsch, ordinis Eremitarum S. Augustini... e testimoniis coaevis confecta, et manu P. Maximi Fridrich scripta an. 1775, OeNB 7310. XVIII, 34 folia.*

2. *Brevis notitia de vita et gestis Xysti Schier, OeNB 7429. XVIII. 1, 31r-38r. Etiam impressa atque praefixa operi, de quo infra B n° 1, in paginis 3-10.*

3. *Accurata notitia omnium operum Xysti Schier tam editorum quam manuscriptorum, praefixa operi de quo infra B n° 1, paginis 11-30.*

4. *Die Belagerung der königlichen Freystadt Günz im Jahre 1532. Wien, bey Johann Georg Binz, 1789, pp. 16-100.*

5. *Martini Rosnák Eremitae Augustiniani Reginarum Hungariae Primae Stirpis Editoris Epistola Apologetica ad cl. Danielelem Cornides, Graecii 1778, pp. 15.*

6. *Index librorum, quos manu scriptos aut editos... reliquit, OeNB 7429, 150r-151v.*

7. *Index variorum librorum, quos Viennensi bibliothecae ordinis eremitarum sancti Augustini cum superiorum facultate dedit, OeNB 7429. 164r-171r.*

8. *Necrologium confratrum O.E.S.A. (a. 1745-1761), OeNB 7429. 136r-140v.*

9. *Theses ex universo vetere et novo testamento, quas sustinuit in capitulo provinciali in ecclesia Baadensi ordinis sui, d. 16 apr. 1758. Forsitan hae theses, manu scriptae, adhuc hodie existunt.*

10. Complures epistulae, quae hodie inveniuntur in variis archivis, e.g. GOA, ex quo citavimus supra epistolam d. 19 iulii 1799 ; de aliis loquitur A. SCHERMAN, *Geschichte von Lockenhaus*, 106, 108, 109, 117, 146, 187-188. Cf. etiam F. RENNHOFFER, « Augustinerklöster in Oesterreich », *Augustiniana* 6 (1956) 522, ubi loquitur de archivis apud Eisenstadt et Steinamanger inventis, quae aliquot epistulas eius continent. Multo plura sine dubio inveniri possent per ultiores investigationes talium epistularum.

B. Opera a Xysto Schier incepta, a P. Rosnák autem recensita atque in lucem edita.

1. *Regina Hungariae Primae Stirpis, authore R. P. Xysto Schier,*

Eremita Augustiniano, opus posthumum, ad illustrandam historiam patriam perquam accommodatum, cum Vita ejusdem cl. authoris compendio data, et accurata notitia omnium operum ejus tam editorum quam manuscriptorum, Viennae 1776, pp. 264.

2a. *Dicta memorabilia sanctorum et beatorum ordinis fratrum eremitarum S. P. Augustini in pium usum sodalium ejusdem sacri instituti collecta, Graecii 1773* ⁶⁶).

2b. *Beschauliche Stücke aus dem Leben des hl. Augustinus, einiger Lehrjünger und Mitglieder seines Ordens, Viennae 1776* ⁶⁷).

3. *Buda Sacra sub priscis regibus, Viennae 1774* ⁶⁸).

4. *Memoria Academiae Istropolitanae, seu Poseniensis, ejusque nonnullorum professorum ex documentis coaevis confecta, Viennae 1774, pp. 47* ⁶⁹.

5. *De monasteriis provinciae Austriae et Hungariae ordinis fratrum eremitarum S. Augustini succincta notitia in usum duntaxat juniorum ejusdem provinciae alumnorum obiter conscripta, Viennae 1776, pp. 61* ⁷⁰).

6. *Memoria provinciae hungaricae augustiniana antiquae, ad-servata in schedis P. Xysti Schier Eremitae Augustiniani, ac dein per Martinum Rosnák ejusdem instituti alumnum in lucem publicam emissa, Graecii 1778, pp. 106* ⁷¹).

⁶⁶) In elencho operum Xysti Schier, praefixo libro supra, B n° 1,14, ait P. Martinus de labore suo: *Qui edidit, his longe plura adjecit, missis aliis, quae Author collegerat, Clarorum sed tamen non Sanctorum, nec Beatorum Ordinis Virorum dictis.*

⁶⁷) Invenitur in OeNB 7236.III.45r-73v. Ultima manus operi data est a P. Xaverio Allmer, O.S.A.; cf. A. ZUMKELLER, *Manuskripte von Werken der Autoren des Augustiner-Eremitenordens in mitteleuropäischen Bibliotheken* (Würzburg 1966) 472, n° 1238.

⁶⁸) De quo ait P. Martinus in libro supra, B n° 1,14: *Praefixit quoque editor brevem praefationem [= pp. 2-9]. Liber habet paginas 118, cum 2 chartis.*

⁶⁹) Dicit de labore suo P. Martinus in libro supra, B n° 1,14: *Hic editor inseruit etiam Aurelium Brandolinum [pp. 27-33], miratus ab Authore fuisse praetermissum, quem tamen etiam extranei Professoribus Istropolitanis adnumerant. Istriopolis appellatur germanice Pressburg. Praefatio P. Martini datur in pp. 1-2 Introductionis.*

⁷⁰) In pagina 2 Introductionis huius libri, ait P. Martinus: *Corrasi autem haec potissimum ex monumentis et chartis P. Xysto submissis.*

⁷¹) P. Martinus ait in p. 4 Introductionis in hunc librum: *Ne... fragmenta, quae ab ipso [Schier] in hunc finem colligi coeperunt, dispergerentur ac perirent, ea sollicitè collegi, atque in hunc... ordinem digessi. Addidi his etiam meas, quas hic atque ibi reperi, micās, notas quoque, ubi e re fore existimabam; plura denique alia, quorum P. Xystus in schedis suis non meminit, inserui...*

7. *Dissertatio de regiae Budensis bibliothecae Mathiae Corvini ortu, lapsu, interitu et reliquiis, Fratris Xysti Schier Augustiniani, cui accessit Mantissa miscellarum observationem ex mss. eiusdem auctoris collectae, Viennae 1798* ⁷²⁾).

C. *Opera Xysti Schier quae P. Rosnák sine recensione edidit.*

1. *Octava defunctorum seu Devotio Brevis pro animabus in Purgatorio satisfaciendis sub invocatione octo Sanctorum et ad exemplum octo Venerabilium, qui ex Ordine Fratrum Eremitarum S. P. Augustini quondam specialiter pro his animabus Deum sunt deprecati, Viennae 1775* ⁷³⁾).

2. *Furii Dionysii Filocali Calendarium antiquum romanum sub annum CCCLIII scriptum, Graecii 1781* ⁷⁴⁾).

D. *Opera a P. Rosnák inspirata vel directa.*

1. *Assertiones theologicae de Gratia Christi, quas Viennae in ecclesia Ord. FF. Erem. S. P. Augustini ad SS. Sebastianum et Rochum, anno 1774, d. 25 augusti publici propugnavit P. Felicianus Häusler ejusdem ordinis, sacrae theologiae in tertium annum auditor, sub praesidio P. Praesentati Martini Rosnák, sacrae theologiae doctoris, ac in praefato conventu generali Studiorum Magistri Regentis, Viennae 1774, pp. 6.*

2. *Assertiones theologicae de Deo Uno et Trino, quas Viennae in ecclesia Ord. FF. Erem. S. P. Augustini ad SS. Sebastianum et Rochum in Via Regia, anno 1776, die 18 aprilis publice propugnarunt P. Casimirus Radl, et Fr. Athanasius Fepon, ejusdem ordinis sacrae theologiae auditores, sub praesidio P. Praesentati Martini Rosnák, sacrae theologiae doctoris, ac in praefato conventu generali Studiorum Magistri Regentis, Viennae 1776, pp. 7.*

E. *Opera aliena, a P. Rosnák transcripta*

1. *Apographa documentorum e cod. ms. Sigismundi de Herberstein bibliothecae Augustinianorum Leucensium, i.e. Lockenhausii in Hungaria, OeNB 7638. 2r-5r.*

⁷²⁾ Cf. textum huius partis super notas 64 et 65.

⁷³⁾ De quo libro ait Rosnák in opere supra nominato, B n° 1,14: *Hoc ab alio in Germanicam linguam traductum prodiit eodem anno, et in eadem forma.*

⁷⁴⁾ Praefatio scripta a P. Martino in paginis 3-6.

2. *Josephus Khell S. J., Dissertatio de horologio sciaterico, scripta manu P. Martini Rosznák (!), OeNB 7638. 7r-9r.*

Credimus investigationes ultiores et alia opera P. Martini nota facturas esse. Hic saltem habemus principium.

IV. BERNARDUS SCHLECHTLEITNER

De hoc patre, qui doctor viennensis anno 1747 creatus est, iam alibi locuti sumus ¹⁾, praesertim pro eius labore in universitate viennensi. Hic loquemur magis de eius relationibus cum universitate graecensi, sicut supra fecimus pro PP. J. B. Cortivo et Richardo Tecker in partibus prima et secunda huius opusculi, et infra faciemus pro P. Antonino Ottinger in parte quinta. Viennae d. 12 maii 1715 natus, vestitus est in ordine d. 7 oct. 1731, professus d. 12 oct. anni sequentis, presbyter Viennae anno 1738 ordinatus. Fuit primum correpetitor, dein lector tam philosophiae quam theologiae atque Sacrae Scripturae in conventibus graecensi et viennensi. Post susceptam anno 1747 lauream theologicam in universitate viennensi, recepit in ordine d. 25 maii 1752 honorem praesentaturae, dein magisterii d. 25 ian. 1760 ²⁾. Die 4 iunii 1755, nominatus est a Priore Generali Regens Studiorum in conventu viennensi, atque per triennium tamquam professor universitatis viennensis habuit partem activam in disputationibus facultatis ³⁾. Graecium ut prior anno 1758 missus, ibidem anno 1761 in priorem provincialem electus est ⁴⁾. Eodem tempore quo prior provincialis Graecii erat, confrater eius Cortivo decanus facultatis theologiae graecensis factus est. Die 22 maii 1762 invitatus est a direttore studii, Antonio Ambrosio Khern, utpote iam doctor viennensis, ut intraret in collegium doctorum graecensium, iuxta decretum Mariae Theresiae d. 13 febr. eiusdem anni pro augustinianis et dominicanis, qui lauream theologicam sive Viennae sive Graecii suscepissent ⁵⁾. Praecise autem hoc tempore P. Bernardus obligabatur tamquam prior provincialis conventus provinciae austriacae sui ordinis canonice visitare, ita

¹⁾ GAVIGAN, *op. cit.*, 336-337.

²⁾ Dd 194,40r; Dd 202.89v.

³⁾ Vide opera eius in elencho ad finem huius partis, I-IV.

⁴⁾ Ff 52.262r, mense apr. 1758; *ibid.* 421r, mense apr. 1761.

⁵⁾ OeNB 10064.38v, ubi textus germanicus datur.

ub oblatum honorem pro tempore recusare debuerit ⁶⁾). Si post provincialatum absolutum Graecii mansisset, forsitan iam anno 1764 in collegium doctorum graecensium intrasset. Tamen, capitulum provinciale mense maio huius anni P. Bernardum ut priorem Baadam transtulit ⁷⁾). Denique, anno 1769, rursum Graecii residens, d. 22 maii, in congregatione facultatis theologicae graecensis statutum est ut P. Bernardus in sacram facultatem reciperetur, atque in locum antea a confratre P. Augustino Naller occupatum — hic enim inde ab anno 1764 Fürstenfeldii mansit — intraret ⁸⁾). Die igitur 24 eiusdem mensis receptus est P. Bernardus in collegium doctorum graecensium cum sessione et voto, in ordine quo iam anno 1762 invitatus erat ⁹⁾). Mense sequenti, d. 28 iunii, oppugnavit P. Bernardus candidatum jesuitam pro actu magno ¹⁰⁾). Versus finem anni scholastici sequentis, sub decano P. Martino Rosnák, adfuit Schlechtleitner congressui facultatis theologicae graecensis, cum confratre Richardo Tecker, d. 15 iunii 1770 in electione trium candidatorum ad decanatum. Ipse praesentatus est cum octo suffragiis secundo loco, post J. N. Müllner, cui cum 10 suffragiis primo loco praesentatus et approbatus est ¹¹⁾). Iterum adfuit congregationi facultatis theologicae d. 7 sept. cum Rosnák et Tecker ¹²⁾). Anno sequenti, d. 24 iulii 1771, P. Bernardus iterum propositus est ut candidatus ad decanatum secundo loco cum 6 suffragiis, post J. B. Schober, qui 13 suffragia recepit atque approbatus est ¹³⁾). Sequenti autem anno, d. 27 iulii 1772, fuit alia congregatio facultatis ad eligendum decanum, cui adfuerunt quattuor augustiniani: Tecker, Rosnák, Schlechtleitner, Hueber. Primo loco praesentatus est P. Bernardus cum 21 suffragiis; secundo loco Antonius Mauller, tertio loco F. S. Fauster, uterque cum uno suffragio ¹⁴⁾). Approbatus a gubernio, decanus factus est Schlechtleitner pro anno scholastico 1772-1773 ¹⁵⁾). Denique in congregatione facultatis ad eligendos tres candidatos

⁶⁾ *Chronicon* 63-64.

⁷⁾ Ff 50.89r, mense maio 1764.

⁸⁾ *Chronicon* 63.

⁹⁾ OeNB 10064.42v.

¹⁰⁾ *Ibid.*

¹¹⁾ *Chronicon* 86-87.

¹²⁾ *Ibid.* 93,94.

¹³⁾ *Ibid.* 106-107; *Album, decani*, ad hunc annum.

¹⁴⁾ *Chronicon* 121.

¹⁵⁾ *Ibid.* 131.

ad locum Rectoris Magnifici, d. 8 iulii 1774, P. Bernardus praesentatus est secundo loco post F. S. Fauster, qui approbatus est, et ante J. B. Schober ¹⁶⁾).

Etiam in conventu graecensi his annis Schlechtleitner variis muneribus functus est. Anno enim 1773, mense maio, factus est in capitulo provinciali subprior conventus graecensis atque primus provinciae austriacae definitor ¹⁷⁾. Videtur ultimis diebus decembris 1775 vel primis diebus ianuarii 1776 obiisse. Mentio enim eius mortis apparet in registro prioris generalis d. 24 ian. 1776 ¹⁸⁾.

Opera scripta quae reliquit sunt omnia ex periodo viennensi vitae eius, ut ipsi tituli indicant. Praeterea, duae epistolae Graecii scriptae conservantur.

OPERA

1. *Quaestio Historia : an Vigilius Papa epistola quadam, quae in vulgatis Liberati editionibus inscribitur : Dominis et Christis Vigilius universam Ecclesiam condemnavit ? resoluta in congressu Theologico habito die 28 Junii 1755* ¹⁹⁾.

2. *Dissertatio scripturistica super poena Bethsamitarum ex l. Reg. c. 6, v. vii, dicta die 2 Dec. 1756.*

3. *Disputatio ex doctrina PP. Saec. I in historiam missae a Salvatore nostro suae ad Edessenarum Regem imaginis, Constantini Porphyrogeniti, quam Combefisius cum Leonis Allatii diatriba de Simeonibus edidit, declamata die 3 Sept. 1757.*

4. *Gratia animata, sive Divus Joannes Evangelista Panegyrica oratione celebratus, Viennae 1744, in fol.* ²⁰⁾.

5. *Epistolae ad Xystum Schier scriptae ex Graecio diebus 1 martii 1763 et 16 ian. eiusdem anni, OeNB 10214q. 1r-3r.*

J.-J. GAVIGAN, O.S.A.

(Prosequitur)

¹⁶⁾ Ibid. 147.

¹⁷⁾ Ff 54.154r et 155r.

¹⁸⁾ Dd 218.91rv.

¹⁹⁾ Haec quattuor opera viennensia anno 1770 in bibliotheca nostra viennensi conservabantur; cf. OeNB 7238.XVI.1, 60v-61r.

²⁰⁾ Habita ad Academicos viennenses, iuxta Schier in OeNB 7238.XVI.1, 61r.